



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

292

D

11

Nomineert voor...

IEP

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK



05



*f. from an binder.*

**FREDERICI CREUZERI**

**O R A T I O.**



292011

FREDERICI CREUZERI,

GRAECARUM LATINARUMQUE LITERA-  
RUM IN ACADEMIA HEIDELBER-  
GENSI PROFESSORIS P. O.

O R A T I O


D E

CIVITATE ATHENARUM OMNIS  
HUMANITATIS PARENTE,

QUA LITERARUM GRAECARUM  
CATHEDRAM

*IN ACADEMIA LEIDENSI*

AUSPICATURUS ERAT.



LUGDUNI BATAVORUM  
APUD VAN LAAR ET HERDINGH,

M D C C C I X.



VIRO EXCELLENTISSIMO

J O A N N I M E E R M A N,

Domino Vuureni & Dalemi, Ordinis Regii Equestris Decurioni, Artium Liberalium Univerfarum Praefecto,

E T

VIRIS AMPLISSIMIS CURANDAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE QUINQUEVIRIS MERITISSIMIS HUMANISSIMIS

PETRO LEONARDO VAN DE KASTEELE;

Regii Confilii Senatori, Ordinis Equestris Decurioni.

HIERONYMO DE BOSCH,

Ordini Regio Equestri adscripto.

J O A N N I D E K R U Y F F,

Civitatis Leidenfis regundae Quatuorviro.

DIDERICO RUDOLPHO WYCKERHELD BISDOM,

Ordini Regio Equestri adscripto;  
et Urbis Leidenfis Consuli.

GE-

GERARDO ANDREAE MARTINO  
VAN BOMMEL,

Ordini Regio Equestris adscripto, Colle-  
gii Rhenolandici Aggeribus curan-  
dis praefecti Quaeftori, et Civi-  
tatis Leidenfis regundae Qua-  
tuorviro,

*Hanc Orationem, reveren-  
tiae Juae gratique ani-  
mi tesseram,*

FREDERICUS CREUZER

D. D.

LEC

L E C T O R I S.

FREDERICUS CREUZER.

*S*uspicor fore plurimos, qui mirentur singulare negotium Orationis, nunquam habitae, sed tamen prolatae in lucem ab eo, qui habiturus erat. Cujus consilii rationes patere cordatioribus volo: ceterorum enim judicia procul habeo.

Ego Leidam vocatus, quanquam aegre avellebar ab amicorum hic agentium consuetudine, tamen illic rerum mearum sedem locare constueram. Atque illo tempore conscripsi hanc qualicumque orationem, non effectam ad istarum similitudinem, quales meditari solent, qui non tam id agunt, ut suam animi sententiam prodant, quam ut sophistarum more probabiliter monstrant, τι ἔντοι quicunque se ad dicendum pro re natā dederit. Neque nunc aliter sentio, posteaquam vitae meae arbiter me huc redire voluit. Nam cum delatus in Bataviam mature vidissim, meae quidem valetudini obesse illud coelum faustissimum aliis, & ipsius PARA-

DY-

DYSII, experientissimi elegantissimique medici, intercederet auctoritas, qui me unquam illic recte valere posse negabat: haud mediocria studia me devinxerunt & LITERARUM PRAEFECTI & ACADEMIAE LUGDUNENSIS CURATORUM PROFESSORUMQUE. Cujus necessitudinis quum meum aliquod testimonium voluisse exstare, nunc quidem nihil succurrit, nisi haec ipsa Oratio. Eam ego prodire jussi, ut monumentum sit meae, si minus facundiae, quam in me non ineffe scio, verum tamen voluntatis. WYTTEBACHIO autem meo quid retribuam, quo pensari possint cumulate ab eo in me collata officia, neque nunc habeo, neque unquam habeo. Quem virum ex quo absentem cognovi sermonibus BANGII & lectione illius operum, non equidem desii suspicere: postquam praesens praesentem perspexi, ambigo, utrum admirer impensis, an diligam. Illud utinam aliquando detur, ut eidem exhibeam tesserae loco e nostris literis, quod tanto nomine haud indignum existimetur. Alterum votum hoc suscipio, uti quantum cupio tantum valeam satisfacere ei viro, qui me Heidelbergam revocavit, quo efficaciter adjuvem honesta juvenum studia, nec desim Collegarum consiliis, in quorum amore jam rurus acquiesco.

Scrib. Heidelbergae d. xxiii Octobr. MDCCCIX,

# O R A T I O

D E

## CIVITATE ATHENARUM OMNIS HUMANITATIS PARENTE.

Magnam inesse admonitionis vim in adspectu locorum, & veteres monuerunt, & hodieque peregrinatorum quivis suo ipse sensu confirmare solet. Neque vero, quare hoc fiat, cum *Pisone* quaero, sed ipsius verbis dico, natura datum esse, ut, cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus. Quod quidem in hanc vestram urbem maxime cadere, nemo paullo eruditior ignorat. Qmito cetera, licet haec ejusmodi sint, ut in hanc

A

item

2 O R A T I O.

item verissime dicatur illud, quacunque ingredi-  
mur, in aliquam historiam vestigium ponimus: &  
meo me nunc cum maxime studio duci patior,  
quod literarum disciplina continetur. Atque inde  
a renatis literis harum laude nobilitatos nulla  
fere civitas in suorum numero plures habuit. Ni-  
hil mirum igitur, tamen venire, ut, quicunque arti-  
um studiosus huc deveñerit, acrius multo &  
attentius de illis earundem adjutoribus, locorum  
admonitu cogitet. Hoc si in iis fieri solet, qui  
peregrinatores tantum spectatoresque huc deferun-  
turi, quomodo me animatum creditis, qui, vo-  
catus publice, in hoc sacrarium pedem intuli? Quo  
me obtutu haec spatia lustrare arbitramini,  
quae toties summorum virorum vocibus resona-  
runt, cum mihi hodie & fortasse etiam posthac  
hoc ipso loco dicendum sit? Quo me animo,  
ut in altioremem memoriam egrediar, dicere existi-  
matis: hic HEMSTERHUSIUS fuit, hic ejus audito-  
res RUHNKENIUS & VALCKENARIUS, cum in eadem  
me cathedrâ locatum videam, quam ille Graeca-  
rum literarum stator omnium primus occupavit,  
hic, dignus eo viro discipulus, suis laudibus in-  
signem reddidit? Atque haec ipsa sedes, per-  
functissimam cladem orbata LUZACIO, hujus nunc  
quoque vocem desiderare videtur.

Quae funera sicut vobiscum luxerunt omnes,  
quicunque humanitatis sensu non prorsus destitue-  
rentur, ita iidem & vobis & literis & sibi ipsis

## O R A T I O.

§

gratulati sunt tot egregia ornamenta servata in summo discrimine urbis; quae, ne funditus evertetur cavit Deus, qui eandem honestissimarum rerum omnium sedem constitui voluit. Ego autem pie veneror summum vitae mortisque arbitrum, qui ex civium vestrorum, quos equidem libenter servasse, obitu vitae meae rationes supensas esse jussit, quandoquidem fas est hoc magis venerari abstrusa Dei consilia homines, quo minus eadem perspicere valent. Veneror item, uti decet, mandata AUGUSTISSIMI REGIS, qui Dei se vicarium in his terris eo praestat maxime, quod artes pacis insigniter tuetur & liberaliter nutrit; quae, quoniam benefaciendo in primis cernuntur, divinam benignitatem præ ceteris imitantur & referunt.

His ille servandis augendisque praefecit eos viros, qui ipsi non modo earundem dulcedine tentantur, & quidquid a gravissimis curis otii emituntur, earum delibatione honestissime exhilarare solent, verum iis se ita insinuarunt penitus, ut, qui hoc unum norit, nihil praeterea eos in tota vita egisse judicaret, utque eorum nomen illustratum virtutibus jam per universum literarum orbem posteritatis memoriae commendaretur.

Itaque non solum defunctorum indicis loca haec me commovent, sed excitatur quoque animus aspectu eorum, qui salvi sospitesque in hunc amplissimum coetum coiistis. Primos enim &

loco & ordine sedentes video *artium liberalium*  
 in hoc regno *Praefectum* hujusque Academiae  
*Curatores* illustrissimos viros, earumque rerum,  
 quae ad literas pertinent, omnium gravissimos in-  
 telligentissimosque judices arbitrosque; quorum  
 sententiā comprobari eorum etiam interest, qui  
 me longe instructiores scientiā & eloquentiā prom-  
 tiores huc escendere consueverunt. Quocunque  
 porro oculos converto, conspicio homines, qui  
 singuli bonarum artium sensu imbuti, suam quis-  
 que disciplinam suo & ingenio & usu insigniter  
 adjūvant & exornant. His te quoque assidentem  
 video, Vir summe DANIEL WYTTENBACHI. Nam  
 tu mihi nominatim appellandus es, cujus nomen  
 etiam puerulo in literarum initiis tradendis mihi  
 optimus praceptor cum laude solebat edere. Te  
 deinde, cum primum ad aliquam doctrinae noti-  
 tiā pervenire coepi, velut antesignanum suspi-  
 ciendum & usque consecrandum dixi. Hoc iter  
 ingresso magis mihi in dies apparuit, quo Tu  
 jam loci enixus es; cumque, quod institueram,  
 non datum esset, ut aequis passibus consequerer:  
 quod concessum erat, illud feci, ut neminem ma-  
 gis nec admirarer nec imitarer, quicumque in his  
 literis hac aetate & regnant, & regnare communi  
 intelligentium judicio dicuntur. Atque quo ve-  
 hementius dolueram, Te mihi ereptum civibusque  
 meis, & carissimum RUHNEMIO retineri in Bata-  
 viā, qua nulla unquam terra has literas earumque  
 ade-

adjutores laetus aluit; hoc magis nunc quam maxime laetor, Te redditum mihi meisque conatis, neque civem modo redditum, sed additum etiam socium atque collegam.

Quanquam quale hoc sit, collegam nancisci in literis principem, nemo non intelligit, qui quidem humanarum virium justam mensuram facere queat: ego autem novitus cum veterano compositus ita persentiseo, ut timorem quoque faciat.

Atque hoc loco, Auditores, illud velim a vobis fieri, ut mearum rerum rationem reputetis? Nam primum designor a Praefecto & Curatoribus, qui & ipsi literarum in primis laude clauerunt: arcessor in eam Academiam, quae illustribus earum artium, quas profiteor, ornamentis olim conspicua, hodieque eadem claritate inter plurimas excellit: succedere jubeo eis viris, quibus majores nec haec terra nec ulla alia unquam protulit: adjungor ei collegae, cujus qui non plane dispar evadere velit, ei nunquam liceat in secundis, nedum in tertiiis consistere. Videlisne, quae cuivis vel paratissimo munus aliquod ineunt singula timorem incutere possunt, ea mihi media criter instructo, sese nunc objicere universa? Quo igitur solertius REGIAE voluntatis vim expendo, & judicii Academiae hujus Curatorum gravitatem reproto, eo major cura me invadit, sollicitudoque injicitur, quomodo tantum tam insig-

nis muneris onus sustinere atque efficere possim, ut ei satis videar respondere. Rursus, ubi mecum cogito, illud non sine providi Dei numine factum, & quam ego judicii gravitatem extinxueram, eam aequiparari magnitudine beneficij, quod amplectendum potius sit, quam recusandum: igitur haec ubi mecum reproto, me ipse confirmo, & facile patior tenuitatem meam in tam insigni vestra humanitate acquiescere. Neque Tua mihi humanitas decerit, Vir ornatissime, qui eas disciplinas Tui ingenii luce collustras, quae ab ea virtute nomen invenerunt. Tibi junctus incitatore gressu & alacrius tenebo eum cursum, quem sejunctus a Te, Tuo tamen exemplo ductus, instaueram; & si quando vel deficiat vis ingenii, vel minus instructus reperiar magnarum artium disciplinis, Te adjutore utar & honestorum consiliorum auspice, ut non provinciae solum ratio Te mihi copulet collegique societas, sed ea quoque necessitudo intercedat, quam studiorum voluntatisque consociatio & conglutinare & retinere solet.

Quam vero liberalitatem a vobis, Auditores, exoptavi, velut perpetuam mearum rerum munerasque adjutricem & sociam, eam hodierno quoque die mihi ut praestetis vehementer rogo. Nam cum majorum nostrorum laudabile institutum fierat, ut ei, qui munus auspicetur, dicendum sit de hujusmodi argumento, quod cum illo arcetius

## O R A T I O.

7

tius contineri videatur: equidem praeclare intelligo, a mei ingenii modulo nihil magnopere posse proficisci, quod eruditissimorum hominum animos vel advertere novitate sua possit, vel delinire dulcedine, vel gravitate etiam commovere. Quo magis faciendum est mihi, ut de ea re dicere instituam, unde ipse vestri iudicij rationes suspensas velim. Nam cum mea maxime interfit, humaniter de me statui, equidem explicabo, quantum humanitati debeatur. Et quoniam Graecarum literarum munus aggredior, quae Atticorum maxime scriptorum praestantia commendantur, verba faciam *de omnis humanitatis parentibus Athenis.* Ita fiet, ut, licet, circumscripta ab hoc loco omni subtiliore disputatione, de re notissimâ dicatur, tamen haec ipsa non aliena censeri queat nec ab hac urbe, ut pote Athenis Batavis, neque a Vestris ingeniis, quae humanitatis artibus conformata placent, nec ab hoc meo officio, quod totum harum disciplinâ continetur. Neque illud vereor, ne hujus argumenti delectus meis consiliis aliunde officere videatur, quando in tam ubere & copiosa materia necesse sit, unicuique Vestrum multa in mentem venire, quae a me ne attingi quidem possint.

Quis enim unquam tantâ ubertate ingenii, tantâ doctrinae copiâ praeditus reperietur, qui de Athenis ita perorare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse judicetur?

A 4

Nec

Neque vero, haec a me dicentur cupiditate approbandae vobis doctrinae, verum significandae voluntatis, quam ego totam in vestra potestate esse cupio. Itaque spero, fore, ut cam simpliciter & nude Atticae humanitatis indicia ex vetere memoria repetam, ea res hanc injucundam apud animos Vestros recordationem habeat, &, si minus mea commendatione, suâ tamen dignitate, Vestrarum mihi exigui temporis audientiam facere possit.

Atque si verum est, quod nemo dubitat, humanitatem, qualis quidem Athenis nata est, contineri iis rebus, quae hominum vitam cultiorem suavioremque & elegantiores reddunt, continuo intelligitur, neque decus parari posse, neque jucunditatem, neque cultum ullum, nisi prius necessitati provisum sit. Necessitatis autem notio ipsa varia quaedam & multiplex est. Eam ego, me anceps haereat oratio, ex meliore vitae, quam nosmetipſi vivimus, conditione repetitam judicatamque volo.

Jam ponite Vobis ante oculos prisca illa, sive Pelasgia, sive ut proprie loquar, Ogygia tempora, Auditores, & vetustissimam humani generis memoriam replicate. Vedebiturne vel necessitati consultum, ubi rapto vivitur, ubi ea, quibus fames pellitur per caedem, patratis invicem latrociniis quaeruntur, ubi a vi frigoris ab impetuque ferarum vixdum bene se tutos praestant  
ho-

## O R A T I O.

homines, qui ipsi, ferarum instar, digladiantium  
inter se libidinum flatibus procellisque huc illuc  
impelluntur? Ejusmodi vita tantum abest, ut  
humana sit, ut ne vitalis quidem debeat haberi.  
At talem, certe non ita dissimilem, vitam fuisse  
Graecorum antiquissimorum, & ratio ipsa fidem  
facit, ducta ex Americae praesertim populorum  
similitudine, & scriptorum quoque auctoritas con-  
firmat. Jam ut concedimus, ex ista immanitatis  
illuvie & fluctibus Graecarum terrarum Argos  
emersisse priores: sic Atticum solum maturius ~~et~~  
ceteris eminuit, meliorisque rationis semina &  
fidelius retinuit & felicius nutrit & explicavit.  
Nacta tamen eadem prae ceteris fautricem fortu-  
nam dici possit, nisi impii ingratique animi sit;  
fortunae temeritati tribuere, quod summi confia-  
hii & divinae providentiae manifesta documenta  
habet. Nam quo tempore universa Europa bar-  
bariei caligine tenebrisque opacata & contrita  
jacebat, Asiae haud exigua pars, itemque Aegyp-  
tus, dudum collustrata sapientiae luce laetissima  
artium incrementa ceperat. Atque ex hac terra  
qui primi in Atticam navigarunt coloni tum fa-  
ctae flammæ igniculis opacam, quae Graeciam  
obsidebat, noctem dispulerunt, omniumque rerum  
speciem exhilararunt. Cumque ad emendationem  
vitae nihil profici queat, quoad in diem vivis-  
tur, & longe diffitis locis homines vagantur, ve-  
natum excurrentes aut inhiantes pescationi: alii

rationi prospiciendum est, quae revocet vagos palantesque, inque unum coire & eodem loco consistere suadeat.

Quod quidem, quamquam & jam pastoralis vita proprius ad humanitatem accedat, magis tamen sit agriculturae beneficio. Nam, si ab iis terris discesseris, quae suâ sponte inhabitantes nutriunt: ceterarum omnium natura ita fert, ut vivi a nemine, nedum a multitudine uno eodemque in loco diu possit, nisi subacto agro seminreque factâ necessitatibus consultum fuerit. Agricultura autem semel inventa nec reliquas vitae partes patitur temere ferri & diutius efferrari, sed una cum stabili domicilio conjugiorum vinculum nestitur, alendae educandaeque proli consuliturn, & quae reliqua domesticus cultus utilia jucundaque habet. Ac Cecropem ferunt harum rerum non-nihil docuisse Atticos, quorum ipse regnum tenebat, ductâ Agraulo Actaei regis filiâ. Ille vero, sive indigena fuerit, sive ideo biformis dicitur, quod ex Saïtarum Aegypti urbe Athenas delatus binas terras pro patriis habuerit, sive quod marem feminae primus matrimonio junxerit: utique idem pro eo haberi debet, qui miseratus populi ad bestiarum conditionem abjecti, beneficiorum suorum memoriâ gratus apud posteros permanxit. Licentius etiam in rebus Erichthonii lusit poëtarum ingenium, qui Vulcani quodammodo filius, Minerva tamen repugnante, terra natu-

in.

inferiorem partem a dracone habuit, & Cecropis filiabus Aglauro, Hersiae Pandrosoque exitio fuit. Evidem non magis indulgebo seftandis nominum originibus, quam de universae fabulae sententia dicam; licet fuerint, nee invenusti illi homines, qui in eadem frugum inventarum initia latere suspicarentur. Hoc enim ipsum agriculturae beneficium, quo barbaris gentibus majus imperari nullum potest, non jam dubia poëtarum fide, sed manifesto historiae testimonio, Athenis Atticis, tanquam patrium nativumque, vindicabimus. Patrium autem cum dico, non hoc dico, ut eum, qui primus semina in Attico agro sparserit, quod hordeum fuisse credibile est, negem illa asportasse aliunde, & cogere instituam, sponte ibidem nata tantummodo coluisse. Hoc dico, quisquis undecunque semina acceperit, eundem, in Graeciâ certe, primum Atticis hominibus arationem boumque usum monstrasse cum vomere, vanno aliisque instrumentis aratoriis. Cererem autem, cum Proserpinam quaereret, Triptolemo heroi hoc artificium tradidisse communis fama serebat. Et patebat ager Rharius, ubi prima messis facta, venerandus religionum sanctitate, Deaeque vestigiis ad posteritatis memoriam confecratus luculentis poëtarum carminibus. Quorum unum nostra etiam aetate haec ipsa civitas, protractum e bibliotheca Moscoviae, RUHNKENIO procurante, in lucem edidit. Atque diuino hoc fru-

frugum munere fortunata Attica non ipsa solum insigniter floruit, verum aliis quoque populis quam plurimum profuit. Cujus benignitatis memoria celebrata etiam deinceps est, cum aliis rebus, tum eo, quod ceteri populi multi quotannis frugum primitias Athenas mittere consueverunt. Quanta vero pars universae humanitatis, quamque multiplex hac una agricultura contineatur, hoc ipso intelligitur, quod ab eodem, qui divinitus arationem monstrasset, sive Triptolemo sive Buzyge, eas leges esse latas ferebant, quas a natura ipsa latas diceeres. Et erant in Buzygiis exsecrationibus cum alia necessaria ad humanitatem, tum hoc duplex pronuntiatum gravissime: „Sacer esto, qui etranti viam non monstrarit. Sacer esto qui inhumatum cadaver hominis neglexerit.” Quid? idem ille, si scriptoribus credimus, in extremâ illâ vetustate sanctissimae etiam, quam ipsi profitemur, doctrinae congruenter convenienterque, „alteri facere vetuit, quod sibi quis fieri nollet.”

Et mirabimur, priscos homines salutaria haec vereque divina paecepta ab ipsis diis profecta credidisse, cum Cererem, quae seimentem commonstrasset, eandem legiferam & dicentem & venerarentur? Neque vero vita solum Athenis pri-  
mum emendata est cum publica tum privata, sed ea quoque tradita sunt, quae hujus vitae terminos excedunt & perennia habentur. Nam CICERONI,  
at

at quali omnis humanitatis arbitro, cum multa eximia divinaque videntur Athenae illae peperisse atque in vitam hominum aduluisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agreste immanique vitâ exculti ad humanitatem, & mitigati fuerint populi. Quae *initia* ut appellantur: ita re vera principia vitae cognita sint; quorum rationem non solum cum laetitia vivendi acceperint populi, sed etiam cum spe meliore moriendi. Et re verâ, quanquam impurorum hominum flagitiosa perversitas posteriore aevo haec quoque instituta ad omnem nequitiam deflexerit detorseritque: il lud tamen negari nequit, saniore disciplina rei Atheniensium publicae prospicuum fuisse, ut his ipsis praceptionibus ii, qui mentem sevocare a corpore sensibusque possent, de maximis rebus meliora edocerentur. Qui enim fieri potuerit, ut gravissimi viri, Isocrates aliique oratores plurimi ab his mysteriis laudandae civitatis patriæ tam copiosam materiam desumerent?

Sed referamus pedem Eleusine, ab iisque sacris, quae ibidem nocturno aditu occultata fiebant, eniteturque in arcem, ubi, illustri loco constituta, communi omnium venerationi dudum aderat Minerva, quamquam necdum Phidiaco opere, verum tamen ipsa vetustate commendabilis. Illa vero arcem urbemque ita tenebat antiquitus, ut etiam hujus nomen cum ipsâ deâ ex communi origine manasse crederetur, Quam rem qui pluribus verbis

bis persequi velit, in eum, verendum est, nec  
recte dicatur illud ipsum „noctuam Athenas.“  
Neque magis disputabo, utrum ei deae prius sit  
lanificium attributum, an belli administratio. Fue-  
rit licet antiquior illa belli armorumque praeses,  
verum tamen non ei bello eadem praeest, quod  
impotentium cupiditatum furoribus temere incru-  
descit: hoc Mars administret, & per agmina  
barbarorum sanguinolentus ruat: illa ei bello  
praeest, quod consilio arteque geritur, quod pa-  
cem tanquam finem spectat, quod conservando  
æque atque pessimumdando cernitur.

Itaque cum illa dea virtutis bellicae domina &  
servatrix diceretur, hac ipsa quoque virtute Pal-  
ladis urbem, ut poëta ait, servatam a diis con-  
stat. Ei igitur Deae, nemo non intelligit, quan-  
topere conveniat congruatque mansuetarum tutela  
artium & femininearum quoque. Non est, quod  
pluribus verbis persequar eandem urbem,

*Paciferae primum cui contigit arbor ollvae,*  
ejusdem numinis beneficio artes etiam pacis, quae  
illa quidem aetate singulae solarum feminarum  
erant, ut texendi, nendi, tingendi acunque pin-  
gendi acceptas retulisse. Neque minax solum  
Pallas hastâ suâ galeâque & aegide, sed decorâ  
etiam peplo illo, quem Panathenaeorum festo  
die Atheniensium matronae sacrâ pompa in aedem  
Cerens Eleusiniae ducebant. Qua quidem re  
cognitum quodammodo est, quam arctum inter-  
utram-

utramque deam intercederet necessitudinis vinculum. Ac Cereris religionibus cultiores *Atheniensium* almat illam rerum parentem naturam colebant, quae, sicut terrae gremio condita semina intus suscipiat alatque, editaque in lucem & virescentia paullatim ad maturitatem perducat: ita hominum vitae mortique praesit, quos ea nunc in terram cadentes recipiat, nunc proferat rursum & corporibus induat, alternas obeundi rediundique vices, ipsa semper eadem, lustrans & dirigens.

Per Minervam vero eruditiores rationem declarari volebant, quae, ut illa edita ferebatur e Jovis regis capite, sic & ipsa tanquam regina rebus omnibus moderetur; repositaque excelsa quasi & semper quieto cacumine numquam conturbetur, velut tempestatum impetu ita violentia cupiditatum, concreto corpori continenter obnoxiarum. Neque magis rerum extrinsecus oblatarum varietate huc illuc feratur, & aliunde pendeat, sed intus suscepta cogitatione, agendi leges ex se ipsa ducat; & stabilis immotaque velut ab excelsa specula collustret suo lumine universa, rerum humanaarum omnium moderatrix immanitatisque expultrix. His deabus commissa atque subdita urbs Atheniensium commune universae Graeciae prytaneum & existit, & a gravissimo rerum scriptore vocata est. Cumque antiquus omnium Graecorum mores fere iidem essent:

Athe-

Athenienses primi, ferro, quod adhuc semper  
gestari solitum, in pace deposito, ad mitius man-  
fuetiusque vitae genus fese remiserunt. Quod-  
que priscis illis temporibus fieri solebat, ut pie-  
ras in deos & quidquid ceterorum officiorum est,  
suavissimis vatum carminibus instillaretur in feroce-  
s hominum animos: nec Atticae religiones ea com-  
mendatione caruerunt. Quando enim Orpheus ille  
in asperis & saxosis Thraciae convallibus assidens  
bestias, rupes nemoraque traxerat, simul atque fides  
blandis impellere digitis coepisset & dulcissimam  
vocem explicare: Athenae illuc miserant ex suis  
civibus Musaeum, qui Musarum concentui au-  
scultaret & Calliopes filio Musarumque alumno.  
Ut vero, quoad ejus fieri potest, conjiciendo  
eruamus; quod sub his fabularum involucris &  
quasi integumentis latet: hoc saltem licet assequi:  
viguisse in Thracia sanctiorem aliquam discipli-  
nam, quae conjuncta cum priscis religionibus &  
poëeos legibus adstricta in Atticam usque pro-  
pagaretur, ibique per manus quasi tradita, praesertim in gente Eumolpidarum, saniora multa,  
quam vulgaris cultus haberet, posteritati eruditae  
traderet. Neque vero solum Aegyptus & Thra-  
cia Athenas erudiit atque ex agresti licentiâ revo-  
cavit, verum etiam res Cretensium publica. Con-  
stat enim, dudum hanc floruisse meliore civilis-  
ratione disciplinae. Non licet certa fide argu-  
mentorum firmare: probabiliter suspicari licet,

The.

Theseum cum jure legibusque arctius copularet Atticos, hanc ipsam Cretici regni formam in multis imitatum fuisse.

Hoc tamen Plutarchi, locupletissimi auctoris fide, perhibent, Epimenidem ab hac ipsâ insulâ oriundum, recessitumque Athenas in civili discordia, nonnullis praceptionibus suis Solonis legibus salubriter viam munivisse. Quamquam in illius rebus multa proprius absunt a poëtarum commentis, quam ab auctoritate historiae. Ubi autem semel altiores radices egit humanitas, ibi nulla in parte, nec publicae rei, nec privatae, sinit efferari & obdurescere sui studiosos. Itaque prisci illi Attici non modo peregrinorum artes in suam rem converterunt, verum profuerunt quoque peregrinis, cum Pelasgorum agmen, qui inopes supplicesque ad se delati perfugium petierunt, in suis finibus habitare paterentur. Iōnes autem ex Achaja pulsos, constat, una cum Atticis eodem loco diutius consedisse, haud vulgariter adjutos recreatosque φιλοξενας officio, quo illi inter omnes excelluisse dicuntur. Et, ita machinante fortuna, ipse ille Daedalus, in Cretam Siciliamque profugus, & Cretenibus & Siculis artis suae specimina edidit.

Quae fabula, vindicata quidem a poëtarum ludi-briis, haud exigua adpropinquantium paullatim artium vestigia retinet; quandoquidem & necessarius carundem exercendarum apparatus ab illo inventus accitur, ut scis, ascia, terebra idque genus instru-

menta alia; & in ipsâ statuaria insignior ars quaestia, cum humani corporis imagines, quae, Aegyptiorum more, adhuc in truncos desierant; vel compressis pedibus jacuerant, jam sejunctis exhiberentur, ut incedere diceret. Atque hoc loco mirari licet felicem Atticorum indolem, quae ab exteris tradita initia artium ita effingeret eruditissime, ut eae non adventiciae nec aliunde quaesitae, sed in Attico quasi solo genitae viderentur. Itaque factum est, ut iidem Aegyptiis Cretensibusque & aliis tanquam suis praceptoribus haud ita multo post lautissima nutricia quasi & mineralia persolverent. Neque vero negari debet, si ratione in eas omnium Graeciae civitatum: praeclare in primis actum fuisse cum Athenis, quandoquidem ex eruditissimis populis in hanc urbem, patentem ad mare opportunissimo appulsi, & matruius aliquanto & multo crebrius advenissent, qui bona sua cum ea civitate communicarent. Ac sicut ea tellus, quae semper horreat, contraacta frigore & perpetuis obnoxia aquilonibus, idonea esse nequit ad alendas fruges fructusque arborum, sed ea, quae, ubi, conceptis feminibus, hiberno frigore adstricta jacuit, vernis modicis imbribus & tepore laxetur: ita, cum nonnullae gentes perpetua torperent barbarie, Atticorum ingenium ex illâ ferina impunitate eruditissimum colonorum beneficio ad mansuetiora studia mitigata est. Eodem beneficio Attici homines alias deinceps terras affecerunt. Constat enim, cum post Co-

Codrum Athenis regnari noluissent, Neleum Androclumque hujus filios, coloniam Iōnum, qui Melantho rege in Atticam concesserant, deduxisse in eam Asiae partem, quae ab his Iōnia appellata, opum rerumque bonarum omnium beatissimā copiā efflouuit. Cum quidem unius Miletii admouero, pluribus verbis non opus est, quo illius consilii magnitudo intelligatur. Singulae autem Iōnicā civitates, junctae necessitudinis vinculo, suo quaque loco modoque, laetissima humanitatis incrementa ceperunt.

Neque tamen ulla harum civitatum tam firmiter fundata legibus tamque salubriter temperata, quam ipsae Athenae, ex quo Solon his praeesse coepit. Nam postquam ea respublica, varie usq; Archontibus & factionibus agitata in diversas partes secessisset, eique malo suis legibus Draco frustra mederi studuisse: tandem eadem a Solone prudentissime administrata inque meliorem formam redacta est. Quanta enim hujus sapientia fuerit, & illud loquitur, quod in septem sapientum numero est, & multo magis ex eo efficitur, quod, cum omnium populorum prudentissimi Graeci haberentur, in Graecis autem longe eminenter prudentis Attici, ipse omnium Atheniensium prudentissimus & esset & diceretur. Ac seruntur dicta ejus plura, quae fidem faciant; in quibus illud est: se quotidie aliquid addiscendere senem fieri. Nam cum initio Iudicandus tantummodo versus fudisset, postea sen-

tentias etiam graves in iis inclusit, & res quoque publice gestas multas intexit. Harum quanta ipse pars fuerit, arguit & Salaminis recuperatio & Megarensē tropacum, quamquam legibus ille suis nullum praeclarius monumentum reliquerit. In eas altius descendere & hujus orationis popularitas vetat, neque mei quidem ingenii modulo magnopere convenire videtur. Illud intelligi volo, ab intelligentissimis harum rerum arbitris, tum priſcae, tum nostrae memoriae, humanissimas easdem judicatas fuisse, sive publica disciplina spectetur, sive privata. Neque enim solum tanto temperamento plebem inter senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam referret, sed mitioribus omnino, quam adhuc factum erat, consiliis usus est. Quodque sanctissimum Areopagi.arum judicium constituerat, praeparavit idem Salaminiam illam Themistoclis victoriam, qua universa humanitas vindicata a barbarorum impetu est. Nulla tamen te diligentius efficaciusque eidem consuluit, quam eis legibus, quibus puerorum, eorum maxime, quorum parentes aliquo loco numeroque essent, educationem dirigere atque describere instituit. Nam sicut pauperiorum filios sellulariis certe artificiis voluit erudiri: ita filios dictiorum iis artibus imbuendos censuit, quae ingenuos maxime homines decerent. Simulatque igitur puer septimum aetatis annum agebat, & egressus e gynaeceo matris nutricisque curā carere videretur posse, traditus,

ille

Nle est duobus magistris, quorum alter eum pugilatu luctâ reliquisque artibus gymnicis exercebat, quibus venatio fere equitatioque addita est; alter eundem literarum initiis erudiebat, praesertim lectitandis carminibus insigniorum poëtarum. Nec minus arithmeticâ geometriaque imbuendum curarunt; quibus Philippi Macedonis aetate accessit quoque picturâ cum linearis tum alia. Citharizare insuper & cantare ad chordarum sonum assidue docti sunt ingenui pueri; ut quasi Aganippes rore mature irrigata tenera pectora nihil intus suscipieren, nisi honestarum rerum cogitationem. Cui rei praeterea consultum eo est, quod diebus festis nonnumquam publice privatimque praemia proponebantur, eroganda iis, qui optime cecinissent. Haec omnia partim Solon prudenter instituit, partim proxima Seloni aetas salubriter auxit & exornavit.

Atque cum statim a pueritâ his rebus operam dari vellent Attici, harum cognitionem, adscito saepe & eloquentiae & philosophiae studio, suâ lingua eo vocabulo affecerunt, ex quo id ipsum intelligeretur: Romani humanitatis studia appellavunt, videlicet indicantes, homines, talibus disciplinis expolitos, longissime remotos a pecudibus & tanquam magis homines esse. Multo tamen prius, quam Athenas, velut in commune omnium gentium παιδευτήριον & museum Graeciae suos filios poliendos mitterent Romani, salutari non minus

confilio oratores eo miserunt, qui ejus civitatis leges arcesserent. Itaque factum est, ut, posteaquam Roma gentium domina evasisset, Atticorum respublica universum orbem terrarum legibus suis teneret quodammodo, & earundem semina quaedam, una cum legibus Romanis, ad nostrae usque memoriae civitates propagaret.

Athenas tamen, ut huc revertar, vivo etiam Solone, occupavit Pisistratus, & identidem ejectus restitutusque perpetua tandem potestate tenuit. Neque tamen ille rem publicam conturbavit, sed Solonis legibus & cives uti passus est, & ipse iisdem satisfacere studuit. Quid? idem, cum ipse doctus esset, suamque eloquentiam literis instruxisset, earundem ubertatem & elegantiam in suorum civium commoda converti voluit. Quo circa & praefidis musicae artis, Apollinis Pythii, Jovisque Olympii templuni exstruxit, & omnium primus fertur in ea urbe bibliothecam condidisse, scholamque instituisse in Lyceo. Idem Orpheum Crotontiaten, poëtam epicum, in suam familiaritatem adscivit. Homerum autem quum Atheniensium civem haberi vellet, utpote Smyrnā oriundum, ab Atheniensibus conditā, hujus poëtae carmina disposuisse dicitur. In quā operā vel patrem adjuvit, vel paternum consilium exsecutus est Hipparchus filius, qui hoc praesertim instituisse traditur, ut illa carmina quinto quoque anno Panathenaeorum festo a Rhapsodis recitarentur. Non est  
hū.

brasus loci narrationum hac de re varietatem persequi, illud nemo dubitat, saluberrimum Athenis fuisse Pisistrati Pisistratidarumque imperium, cum aliis rebus, tum bonarum praeferit artium insigni adjumento. Etenim Hipparchus tantum absuit, ut gravis existeret suis civibus, ut hi postea sub eo sese, tanquam sub Saturno, aureum quodam seculum vixisse praedicarent. Et Plato, vel quisquis ejus dialogi auctor est, qui Hipparchi nomine inscribitur, hujus viri sapientiam dilaudat, Heraclides autem Ponticus eundem Φιλόμουσον dicit. Ac quantopere ille Musarum famulos in deliciis habuerit, liquido docet Anacreonis Teji familiaritas Simonidisque Cei; quorum illum, missa quinquaginta remorum nave Samo Athenas acciverat, hunc autem semper secum habuit, magna mercede ei persuadens lautissimisque muneribus. Familiariter item usus aliquantis per est Onomacrito, & ipso poëta; eodemque adjuvandarum artium studio ductus Academiam muro cinctissime dicatur. Cumque urbem augeret operibus, doctorumque hominum celebritate conspicuam reddebet, etiam eos erudire instituit, qui in agris habitabant. Itaque Hermas constituit per vicos viasque, inscriptis elegis, quibus salutaria p�cepta in memoriam vitaeque usum proderentur, ut illud: „Justitiam colito.” „Amicum ne decipito” aliaque plurima. Atque ita, Auditores, prius admodum aevo, & quod horreret barbarie,

Athenas vidimus non modo religionibus sacrorumque voce vatum ab agresti ferinâque immanitate revocatas, sed patriis etiam legibus publice privatimque temperatas emendatasque optimis artibus, atque adeo humanitatem altiores jam in hac terrâ radices agere, ejusque inçolas laetiore in dies fructu & matuiore alere & receare.

Jam hoc tantum bonum, quo practantius nunquam humano generi datum est, sub hoc ipsum tempus, periculum erat, ne & Atheniensibus & Graecis omnibus & universae adeo Europæ eriperetur. Etenim cum haud ita multo post Iônes, cum reliquis Asiae incolis Graecis, inde a Cyro rege, Persarum imperio subditi, a Dario rege defecissent, & bellum Iônicum exarsisset, Athenae eos & copiis adjuverunt, & ipsas quoque Sardes combusserunt. Quod consilium tunc quidem ad irritum cecidisse constat; & finito eo bello a Phrynicho poëtâ in scenâ exhibitam Athenienses spectarunt expugnationem Miletî. Cumque tam tristi carminî spectaculoque totum theatrum illacrymasset, liquido cognitum est, quam humanus esset is populus, qui & aliorum miseriis tanquam suis commoveretur, neque ad poëseos vim artificiumque torperet. Neque tamen idem propterea animis concidit, inque mulierium querelarum molliitem effusus se affligi passus est, sed erexit se, & patriae fortiter quendae non moda signum sustulit, verum etiam mira

mira virtute consilioque eam rem ad exitum perduxit. Alienum est ab hoc argumento, nec necesse haec uberioris explicari: illud reputari volo: illos Μαραθωνάχους, & qui postea variis proeliis videntes decertarant, cum e Graeciâ pepulissent Persas, & ocellum Graeciae Athenas servassent, hoc ipso retudisse ingruentis barbariae impetum, & ipsam humanitatis lucem conservasse. Etenim Persae neque unquam ad eum cultum pervenerant, ut cum Graecis possent comparari, & tunc eorum disciplina paullatim praeceps ruere cooperat. Quocirca Aegyptus, quae ipsorum vim avertere non potuisset, obscurata jacuit, quoad a Graecis restituta Graecarumque lumine literarum rursus illustrata est.

Jamque ad illud me tempus delatum video, ex quo Pericles rem Atheniensium publicam per quadraginta amplius annos administravit. Hoc maxime & Cimone, qui Persarum copias fregebat, principibus factum est, ut Atheniensium civitas mirum in modum cresceret, ceterisque Graecis in omnibus rebus longe antecelleret & quasi Ἑλλάδος Ἑλλὰς exsisteret. Unde igitur in tanto eorum, quae se ad dicendum offerunt, copia potissimum ordiar? Nimirum ab eo, quod demto horum ornamentorum nihil parari poterat. Nam cum, suadente Themistocle, navalibus copiis salutem suam civitas credidisset, earundem aere, post illam Persarum cladem, paullatim ita

eminiuit, ut cum ipsa non multum amplius vingtij millia ingenuorum hominum haberet, postea tamen permultas insulas & mille oppida, longo circuitu, inde a Cypro ad Bosporum Thracium, hinc autem rursus reducto orbe ad Euboeam usque societatis necessitudine sibi devincta teneret. In quibus multas fuisse Atticorum colonias & supra monuimus, & exponere longum est. Cumque antea fodinarum argenti redditus e Laurio monte in publicum usum accommodati essent, Aristidisque integritati commune sociorum aerarium commissum fuisset, hoc jam translatum Athenas, a Pericle ad amplificandam urbem exornandamque conversum est. Privatim autem neque in victu, nec in vestitu reliquoque vitae cultu quaesita magnificentia est, sed in publicum tantummodo decus & patriae & deorum maxime patrioticorum. Neque usquam pauperibus facilior vita suppetuit, quam in hac urbe, in quam, florentem mercaturam, ex omnibus terrarum orbis partibus omnia continenter importarentur. Non igitur defuit quidquid materiae, aeris, eboris, marmorisque ad publica ornamenta desideraretur. **Nec artifices defuere.**

Vidit enim haec aetas Cimoni familiaritate junctum Polygnotum, qui una cum Micone & Panaeno porticum illam, quae ex ea re Poecile dicta est, tum aliis picturis decoravit, tum egregiâ illâ tubulâ, quam ille pugnam Marathoniam exhibuit.

hibuerat. Vedit eadem Phidiam adjunctum Pericli. Hic quidem quum etiam privatus exstruendum curasset Odeum dicatum Rhapsodorum recitationibus certaminibusque musicis, jam praefectus rei publicae illius artificis ingenio ad ea opera perficienda usus est, quae, ab ejus nomine appellata, ad declarandam summam artis praestantiam, hodieque vulgo Phidiaca usurpantur. Non est igitur cur illa pluribus a me verbis explicentur, quae nec disertissimus quidem summâ verborum copiâ satis digne dilaudare queat. Neque magis praeclara Propylaea commemorabo, aut illum Parthenona, Periclis consilio restitutum multo ornatus, quam antea fuerat. Quod templum tenebat illa Minerva Phidiae; quam cum faceret ex ea, quae in mente ejus insidebat, eximiâ quâdam specie pulchritudinis similitudinem duxerat. Idemque ad divinae speciei similitudinem artem manumque dirigens confecerat Jovem Olympium, quem Paulus ille Aemilius, Jovem velut praesentem, intuens motus animo est.

Magnam praeterea Atticae urbi & inventionis & exornationis partem debet ars pingendi. Haec enim protulit Apollodorum, Zeuxidis praceptorum, qui primus hominum, quod colores diversos temperaret umbramque coloribus exprimeret, gloriam penicillo jure conciliavit. Inde ante eum nullius tabula ostensa dicebatur, quae oculos teneret, Atheniensis item, Phidiaeque discipulus fuit

Al-

**Alcamenes**, qui in marmore non minus, quam in aere eboreque & auro felicissime elaboravit. In Atticorum autem civitatem adscitus, licet Eleutheris Boeotiae oriundus, Myron ille aemulus Polycleti, cuius Discobolus omnium oculos advertit, vacca vero nobilitata est luculentissimorum poëtarum carminibus. Quid Parrhasium dicam, qui populum etiam Atheniensem in tabulâ representavit? Quid Euphranora, qui, optimis studiis eruditus & pingendi fingendique idem mirus artifex, cum Theseum, Atticorum regem pinxit, primus exprimere judicatus est dignitatem heroum. Et Apellis illius aequalem Niciam suum habuerunt Athenae, ut alios praeteream, qui postea quoque floruere plurimi. Longum enim est, nec necesse, singulos persequi, qui vel Athenis nati picturâ sculpturâque & aliis artibus claruerunt, vel ibidem agentes ex Atticis maxime rebus operum suorum argumenta duxerunt: quando nemo dubitare potest, quin haec urbs harum artium partem repererit, partim honorem iisdem, vim atque incrementa contulerit.

Et quemadmodum Polycletus consummasse artem dicitur toreuticenque erudiisse, Phidas autem aperuisse: ita hac ipsa aetate poësin, quam aperuerat quodammodo Homerus, suis numeris perfecit absolvitque Sophocles Atheniensis. Utque Polycleti canona imitando Lysippus exprimere studuit: **Sic ad Sophoclis aequaliumque imitationem optimus**

mus quisque posteriorum poëtarum se composuit. Prior tamen Sophocle Aeschylus tragoeidam, inchoatam inde a Thespide rudioremque adhuc erudiit eique dignitatem addidit. Qui, ut ipse ad Marathonem Salaminaque & Plataeam pro patriâ decertârat, ita Persarum cladem in scena exhibuit, gravis praecipue sublimisque & grandiloquüs. Ejus granditatem exceptit Sophoclis facundia & sapientia Euripidis, quorum ille nec minus sublimis & sermone & sententiis idem tamen expoliit quod rude & incompositum in Aeschylo refederat. Atque in hoc maxime cognitum est quid sit illud: tragœdiæ animi purgationem perfici. Etenim cum virum magnum videmus, cum magna fortuna compositum, in ipso mortis articulo sibi constantem, neque fractum fortunâ concidere animo, sed sublime spectare immobilem: nascitur in animis nostris simul cum miseratione ille sensus humanitatis, qui ab omni humilitate alienus non met ipsos alte spectare docet, utpote divinitati cognatos quodammodo atque conjunctos. Nemo autem commovendae miserationis major artifex existit Enripte, qui philosophiae fructum divinaque Anaxagorae Socratische placita in scena actionem traduxit. Itaque fabulis animorumque motibus tragœdia eam fraudem fecit Athenis, qua, ut praeclare dicebat Gorgias: „&, qui deciperet non decipiente justior esset, &; qui deciperetur non decepto sapientior.” Neque agitur

ad

ad vana oculorum oblectamenta, verum ad animi honestissima studia erogatum debebat videri, quidquid Attici in Phoenissas, Oedipos, Antigonam, Electramque & similes fabulas sumtuum faciebat. Nec lyricae poëseos rudes fuerunt Athenae, & Lyricorum etiam principem Pindarum, cum Thebanus esset, quoad ejus fieri poterat, suum esse voluerunt, quandoquidem ipsum illum civitate donarunt. Comoedia porro, quae aliunde, maxime a Siculis initia cepisset, Athenis tamen & ipsa ad maturitatem adducta est; non modo vetus illa, quae, liberâ republicâ, improborum saepe hominum licentiam compescuit, sed media quoque itemque nova, quae e foro quasi & concione in aedes se recepit, privatorumque ingenia moresque utilissime imitata est. Atque Aristophanes, licet in veteris maxime Comoediae poëtis habendus, morum tamen Atticorum nobis optimus existit interpres, quem Plato in deliciis habuit, in ejusque animo, velut in sacrario Gratias sibi ipsas domicilium constituisse, aliquo epigrammate prodidit.

Quid eloquentiam persequar? Cujus studium ipse ille Romanorum eloquentissimus non communie fuisse Graeciae dixit, sed proprium Athenarum. Et revera una urbs Attica pluribus fanae eloquentiae, quam universa Graecia floruit operibus. Hac autem arte nulla magis judicari debet in publicum profuisse, tanquam vitae communis magistra, stu-

stuporisque & barbariae expultrix. Nam cum  
 summa retum tunc quidem penes populum esset,  
 judiciisque interessent homines de plebe: nece-  
 se fuit, illam Periclis, Alcibiadis similiusque vi-  
 rorum, a philosophia profectorum, orationem  
 doctrinamque ad popularem simplicitatem demitti.  
 Quo factum est, ut quidquid animus, in maxi-  
 marum rerum meditatione defixus, secum conce-  
 pisset, illud ipsum in communem omnium intel-  
 ligentiam explicaretur. Diēs me deficiat, si Atti-  
 corum oratorum partes quasi & fontes repetere,  
 atque genera & velut familias describere insti-  
 tuam. Quod e veteribus ipse ille optimus elo-  
 quentiae judex CICERO, & recenti memoriam civis  
 vester me longe eruditior ita fecerunt, ut nihil  
 desiderari possit. Itaque nihil dicam de concin-  
 nitate Gorgiae, qui primus paria paribus adjuncta  
 & contraria relata contraria dicitur invenisse, ni-  
 hil de subtilitate & elegantiā Lysiae, nihil de praef-  
 stantia Demosthenis, qui unus omnes eloquentias  
 numeros explevit, nihil de Phalcrei illius suavi-  
 tate doctrinique. Hoc teneri volo, quod cum  
 consilio meo artus continetur. Est enim apud  
 CICERONEM: Isocratis domum cunctae Graeciae  
 quasi ludum quendam patuisse & dicendi officinam;  
 itemque illud alterum: eloquentiam; ut semel e  
 Piraceo evecta esset, omnes peragrasse insulas, to-  
 nique Ait esse peregrinatam. Unde satis intelli-  
 gitur, hac sola arte & invenienda & augenda At-  
 ti.

ticorum urbem magistram gentium extitisse. Neque solum Hyperide, Aeschine, Demosthene floribus ea laude inclaruit, sed eandem retinuit Demetrii etiam Phalerei aetate, & ad extrema etiam tempora propagavit; ut a Libanio, & posterioribus quoque, dicendi officina diceatur, quo nomine eandem Tullius appellaverat. Ac sicut in marmore rudia initio opera instituuntur inchoanturque, quae, non nisi vetustate commendabilia, aetatem ferunt, quoad doctiore paullatim caelo signa perficiantur, quae praestantia sua intelligentium quoque oculos animosque advertant & teneant: ita sermonis Graeci horrida primum & quasi aspera facies, perpetuis Atticorum oratorum curis erudita & laevigata, divinam illam (pulchritudinem explicavit.

Athenis etiam eloquentiae se, tamquam comes & alumna *Historia* applicuit. Nam posteaquam Herodotus illis Persici belli heroibus suum & praecconium & testimonium tribuisset, in eaque iam tum primaria urbe publice recitasset sui operis partem, quo ille universi orbis terrarum memorabilia complexus erat: Thucyrides, uti Miltiadis tropaeis Themistocles, sic ipse illius laudibus excitatus ad patrias res conscribendas se compositus: Hic primus historiam, arcessitam quasi e templorum penetralibus, in castra concionemque adduxit, & prudentiae civili militarique accommodavit. Cumque exsul civibus suis sua & virtute & presiden-

dentia amplius in castris prodesse non posset: iisdem scribendo prodesse voluit in secessu, cum funestissimi belli variis actus vicissitudinesque explicaret & velut ad oculorum sensum traduceret. Quod ille ita perfecit, ut in bellicis rebus bellicum quodammodo canere diceretur. Neque solum corisilia ducum explicavit, sed civillum quoque commutationum causas & incommodorum remedia intelligentissime aperuit. Quocirca, qui postea in consimili argumento elaborarunt, ut Polybitis, Sallustius, Tacitus, & recentiores etiam; ab hoc potissimum edocti existiterunt. Quas vero ille orationes rebus interposuit, eaē redundant & affluunt egregiae sapientiae copia; nemoque illo efficacius oīnem eloquentiae vim ad iūris naturalis perennia sanctaque pracepta stabilienda adhibuit. Atque ita, Athienensis hominis ingenio historia facta est experientiae vicaria humanitatisque commendatrix. Hujus autem civis Xenophon, licet non aeqtie grandis nec ratione, nec oratione, tamen & ipse rerum scriptionem ad omnem humanitatem accommodavit. Qui cum, profectus a Philosophia Socratica, magnam vitae partem exegisset in castris, & bellicam disciplinam & omne officium imperii vitaeque actionem omnem illius rationis praeceptionibus temperavit & moderatus est. Leniore autem sono orationis, quam Thucydides & postea Callisthenes usus, tam

C dul-

dulcis fuit, ut ejus voce Musas quasi locutas dicerent. Fuerunt quoque plurimi, qui subtiliter & copiose Atticorum origines prescriberent, resque patrias omnes uno volumine complectentur. Horum celeberrimus Philochorus Atheniensis, qui doctrinae ubertatem, perceptam ab Eratosthene, ad historiam adhibuit. Eadem doctrinae laude commendabilis existit Apollodorus & ipse oriundus Athenis, qui & alia permulta scripta edidit, & historiam, cum fabularem tum ceteram explicuit, &, quoad ejus fieri poterat, ad temporum rationem revocavit. Huic quidem rei jam ante Thucydidem quodammodo consuluerat Meton, Atheniensis astrologus, illâ suâ Enneadecaëteride, sive orbe undeviginti annorum, quo ille solis lunaeque motum conciliare studuit. Itaque & hoc utilissime Attici, quod siderum cognitionem ad rem civilem retulerunt. Artis autem salutaris qui honor apud eosdem fuerit, & alia arguunt & illud in primis, quod HIPPOCRATEM medicorum principem civitate donarunt publiceque iniciaverunt Eleusiniis.

Multa in hoc genere a me praetermittenda sunt necessario, cum *Philosophiae* me Xenophontis injectio mentio admonuerit; quamquam hoc quidem loco & ipsa leviter tantummodo a me attingi & quasi delibari possit. Et philosophiae nutrices Athenas quis unquam, summa licet orationis copia

pia praeditus; ita laudare queat, ut ejus argumentum  
libertati facis fecisse videatur? Et vero; si unum  
Socratem protulissent Athenae, hoc solo nomine  
de universo hominum genere praeclare merita  
dabebantur judicari. Nihil plurimos proulerunt,  
qui, quam plerique a Socrate orti essent, tamen,  
quod ex ejus variis & in omnem partem diffusis  
disputationibus aliis aliud apprehenderat, maxime  
diversi inter se ac disparest fuerunt. Ac si verum  
est, quod cum fecisse veteres tradiderent, quod  
que ita esse Xenophonti in primis dialogi unum  
quemque docere possunt, haoe avisse eum primum  
philosophiam allibus abstrusis ab ipsaque natura  
involutis; & ad viram communem adduxisse, ut  
de virtutibus & vitiis omninoque de bonis rebus  
& malis quaereret: igitur hoc si verum est, quis  
humanior Socrate unquam philosophus fuit, quis  
modestior & ab omni arrogancia & fastu alienior?  
Hoc auctore philosophia exstitit vitae gubernatrix  
virtutum omnium parens & pravarum libidinum  
victrix. Hic, si quis alius, ad suam ipse regulam  
vixit & , quod apud poëtam est, pudoris quasi  
specimen absolvit. Hujus item discipulus Pla-  
to, licet ad retrusarum rerum investigationem rui-  
fus redigisset philosophiam, cum de mundi fati  
& orru similibusque rebus aliis quaereret, neque  
tamen idem a praceptoris virtute defecit, sed  
praestantissima ejus decreta manitiora posuit. Nam

quod SOCRATES docuerat, animos hominum esse divinos, iisque quum e corpore excesserint, redi-  
tum in coelum patere: gravissimis ille firmavit  
argumentis & uberrime explicavit. Idemque re-  
rum formas, sive ideas, esse docet, quae nequa-  
gignuntur nec interent, cum cetera omnia na-  
scantur & fluant; a quorum servitio & illecebris  
idem mentem vindicari jubet & ad illarum unice  
cogitationem revocari. Itaque soli Athenienses,  
tunc quidem verissimo dici poterant, ad coelum  
iter cognitum perspectumque habere. Et quemad-  
modum ad salubres animorum quasi epulas su-  
vissimum Socrates addiderat condimentum sermo-  
nis: ita Socraticorum quoque principes orationis  
lenociniis & velut incantamentis mirificos rerum  
honestissimarum amores & excitabant & augebant.  
De Xenophonte supra diximus, & notissimum illud  
est, melle dulciorem ejus orationem esse, quam  
ipsae Graiae finxisse videantur. Platonis autem  
tanta dicendi libertas, ut ipsum philosophorum  
quasi quendam deum haberent, Jovemque, fate-  
rentur, si graece loqueretur, sic loqui. Propterea  
ex Academiae spatiis summi oratores extiterunt,  
& ipse ille Demosthenes fertur lectitavisse Pla-  
tonis libros ipsumque audivisse? Cumque antea  
Atticorum dictio ad illam salubritatem & quasi  
sanitatem conformata esset, quia ea prae ceteris  
commendaretur, jam, Socraticorum erudita inge-  
niis,

nus, summa etiam elegantia venustateque placuit. Elegans autem in primis atque faceta est illa ironia, qua in Platonis Xenophontisque libris Socrates utitur, praesertim cum sophistas ludit. In qua dissimulantiâ, idem judicatus est, omnibus lepore humanitateque praestitisse.

Eodem maxime tempore Athenis & rem scenicam Aristophanes excoluit, qui Platonem etiam in suam admirationem converterat, & Pericles dominus tum illius, tum Socratis, aliorumque sumorum virorum familiaritatibus floruit. Ejusmodi hominum congressibus si quis cum laude interesse vellet, eum oportebat placere ea facilitate morum, quae aequa aliena esset a fatuitate, cui nihil non probatur, atque a morositate tristitiaque, cui nil probari potest. Commendari debebat facetas quodam genere sermonis, quod liberum esset, nec indecorum. Atque in his circulis nata est dicacitas, non scurrilis ista & quae quemquam laedere videretur, sed modica quaedam & decora. Horumque hominum colloquiis scriptisque & intellectum primum est, & ad eam regulam postea exactum, quid sit illud, Attice dicere & ad Atticorum aures teretes religiosasque accommodatum. Quae colloquia ut urbanitatis quasi quodam sale perspersa mirifice placent: sic nee minus eo commendantur, quod scientissime fugiunt quidquid nimium ferri & fundi videatur. Et sicut Attic

judicia orationem fastidiebant, quae, inconcinna ac velut impexa, agresti facie horreret squalerentque; ita displicebat ea, quae nimis comta & quasi calamistris inusta unguentisque delibuta flueret. Neque vero solum in sermonibus ac scriptis Attici detrectabant affectatum istud genus effusumque, quoddque nimis arte quaesitum videretur: sed in rebus omnibus, in viatu, vestitu inque universo vitae cultu. Ita enim videmus fere fieri, ut, ubi semel, dispulsâ castimoniae iniunctâ barbarâ, sensus ordinis decorisque vigeat, quo magna pars humanitatis continetur: jam omnia suum ornatum accipiant, hoc est cum, qui naturae humanae legi congruat, elegantiaque quaedam existat, non ad unum quoddam genus adstricta, sed per omnes vitae partes fusa & explicata. Hac elegantiâ nivuere Athenae, ex quo eas Pericles suâ suavitate exhilararat; cognitumque ipso effectu est, quid sit illud, quod ipse apud Thucydidem suos cives facere dicit: *Φιλοκαλεῖν μετ' εὐτελείας καὶ φιλοφεύνειν μηλαχίας.*

Illâ vero eloquentiâ nobilitata & virtus Academia est & quae secutae sunt reliquae, ut summus Romanorum orator idem de se profiteatur, quod supra in Demosthene observavimus; Xenocratis tamen non eadem proditur sermonis comitas fuisse, at eo efficacior gravitas, qua ille Polemonem resipiscere & ab infamia ad severitatem redire coegerit. *O* vitae philosophia emen-

emendatrix cupiditatumque rectrix, o felicissimum rationis & perpetuum bonum. Ejusdem Xeneratis sanctitati tantum tribuerunt Athenienses, ut cum testimonium, publice a se dictum jumento firmare vellent, una voce, se vel injurato credere acclamarent, neque jurare paterentur. Quod judicium, dubitari potest, utrum honorificentius iis fuerit, a quibus fieret, an ei, in cuius gratiam. Quid? in hoste etiam suae humanitatis testimonium extare voluerunt Athenienses. Qui quidem, captis Philippi ta~~bellariis~~ epistolamque Olympiadi inscriptam ferentibus, non solverunt eam, patefieri nolentes, uxori missam salutationem peregre absentis mariti. Satis de modestia: misericordiac exempla in medium profemus. Nulla unquam Graeciae civitas pauperum necessitatibus tam diligenter consuluit. Nam sicut solebant quemquam desidiā torpere, eique vitio etiam occurserant constituendā γραφῇ ἀργλας, lege a Dracone, ut videtur latā: ita humanissime subveniebant iis, qui, cum meliore foruna digni essent, eādem uterentur adversā. Quis nescit illas ἑταιολας, sive sodalitates, quae non modo convivorum caussā jungabantur, sed eo etiam consilio, ut se invicem adjuvarent sodales. Eodem pertinebat ἐπανος, stipes collatitia, quae ea lege conferbatur, ut, si rursus emersisset, qui acceperat, quantum illi erogatum erat, tantundem restitueret.

C 4

Nec

Nec in ullâ alia urbe Graecorum publice subveniri solitum fractis corpore, constat, & caussariis, nisi Athenis. Et nota est Misericordiae ara, posita in foro Atheniensium, qui ei numini singularem quendam honorem habebant.

Illuc redeo. Vocab enim ille inter Atticae philosophiae principes eximius Aristoteles: Qui quidem verissimam illam praceptoris vocem constanter tenuit, omnem doctrinam ingenuarum & humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri; eratque in illo ea cupiditas, quam idem Plato in philosophi indole inesse voluit, disciplinae non unius alicujus, sed universarum. Cui studio cum ingenium responderet, consecutus ille hoc summum est, ut in omnes scientiae partes intelligentiam converteret, & literarum universarum quasi orbem non modo mentis cogitatione verum etiam scriptione, complecteretur. Idem, unus homo, de rebus diversissimis, de siderum motu, ordine & intervallis, de elementorum vi & ratione, de plantarum, animalium, lapidum varietate & generibus subtilissime exposuit, & plurimarum artium, quae adhuc apud Graecos effluuerant, indolem naturamque ad rationis praecepta primus retulit. Hunc igitur suspiciant ii philosophi, qui cum vixdum unius saepe artis rationem recte tenent, tamen, velut Atlante coelum, sic suo supercilio universam rerum naturam nisi opinan-

nantur. Ab hujus viri ludo itemque ab Academiâ, tanquam ex omnium artium officinis, oratores, imperatores ac rerum publicarum principes profecti sunt, ab his mathematici, medici, poëtae, musici denique extiterunt.

Videre Vos opinor, quam se latus orationi meae campus ostendat, si, quae hoc loco se offerunt, persequi, atque in singulis Academiae, Lycei, Stoae & Epicuri hortorum ornamentis subsistere & immorari velim. Sed non committam ut cuiquam videar transfilire eos terminos quos initio pepigi. Itaque omittam illos Academicos, Arcesilam, Carneadem, Philonem, Antiochum, alios; neque magis dicam de perpetua illa Peripateticorum eaque nobilissima familia Theophrasto Clearcho, Dicaearcho, Heraclide Pontico, Aristoxeno, aliisque, quos enumerare longum est. Tacebo universam Zenonis Chrysippique rationem qui cum contractioris adstrictiorisque orationis essent, tamen rerum a se traditarum luminibus non minus, quam Polygnotus & Micon illam porticum nobilitarunt, unde eorum secta nomen invenit. Quid porro Epicurum dicam, cujus doctrina sanctitate vitae commendabilior apparuit? Quid Cyrenaicorum magistrum Aristippum, qui gravissime docuit, philosophiae studiis homines in veram libertatem vindicari? Quid Megaricos, quid Eliacos & qui reliqui plurimi ab Atticâ philosophiâ exorti sunt?

Neque postea, fractis ad Chaeroneam Græcorum opibus, literarum honor, quo Athenæ floruerant, vetustate obsolevit. Nam inde ab Alexandri ætate, patefacto orbe, latius etiam evagata Atticorum humanitas suis beneficiis & Asiae magnam partem & alias terras complexa est. Taceo plurima: illud attingam, cum mortuo **Alexandro** bellis continuis divexati Graeci alias ex aliis partes sectari coacti essent, & Athenae quoque a Demetrio Poliorcete defecissent, hunc ipsum regem, exoratum a Cratete philosopho, illius incolis humanissime veniam dedisse. Illius aequalis Demetrius Phalereus non minus inclaruit. Qui cum rem Atticorum publicam optime gessisset, ex patria pulsus ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit; ibique praefectus illi bibliothecæ, ut Ciceronis verbis utar, multa præclara in calamitoso otio scripsit, non ad usum suum, quo erat orbatus, sed animi cultus erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Et quemadmodum Athenienses tunc quidem ingenii sui bona cum Aegypto, suarum religionum parente, communicaverunt: sic iidem multos doctos homines, expulsos Ptolomaei Physconis saevitiâ, ad fuos Lares redire viderunt, & benignissime receptos aluerunt. Quapropter ea urbs, quam olim communem Graeciae focum dixerat Pythia, nunc quidem communis eruditorum omnium focus poterat haberi. Antiochi

Mag.

Magni res, quam vim in ejus civitatis conditionem habuerint, notum est. Illius impetu represso Atilius Romanae classis praefectus, Atheniensibus fame laborantibus maximam tritici copiam distribuit; ut adeo frugum antiquitus inventarum beneficium in summa inopia quodammodo retributum posset videri.

Successere graviora tempora. Nam, ut alia tecum, Romanorum opibus in immensum crescibus, Mithridates rex Ponti, in Graeciam ingressus primariam illam urbem ceperat. Quam deinde Sylla armorum vi recuperavit, & gravissime affixit. Atque tunc primum factum est, ut Aristotelis scripta, translata Romam, terrarum dominis innotescerent. Quae res quam vim habeat, nemo nescit, qui & horum librorum praestantiam norit, quibus plurimarum ratio disciplinarum consignata est, & secum reputaverit, quot populi deinceps per labentium seculorum decursum usque ad renatas literas, ab ejus hominis ingenuo velut ex uberrimo fonte suam scientiam certatim repetierint. Itaque Athenae, quae Homerum sua quasi civitate donarunt, quae Platonem in lucem edidierunt, eadem & doctissimum philosophorum Aristotelem ad perpetuam posteritatis memoriam commendarunt.

Adeo deinde, ut huc redeam, certa Athenis in Romanos fides fuit, ut semper & in om-

omni re, quidquid sincerā fide gereretur, id Romanī, Atticā fieri praedicarent, referente ipso Romanorum rerum scriptore. Post pugnam Pharāalicam Julius Caesar Atheniensium civitati, quae cum Pompejo fecerat, majorum gratiā ignovit. Pacato orbe illuxit Atticis literis laetior dies. Qui enim ex Romanis harum studio operam dabant, ii fere Athenas mittebantur quas ab hac re Proptertius *doctas* appellat. Quid ego Pomponium memorem, quem non cognomen solum Athenis deportasse Cicero dicit, sed humanitatem etiam & prudentiam. Tantum ei urbi tribuebat is, quo ipso nemo Romanus nec prudentior unquam nec humanior fuit, quique & ipse in iis debet haberi, de quibus poëta;

— *tibi cor, lumenque Minervæ,*  
*Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.*

Retinebant autem, Tullii quoque aetate Athenienses praeclaram laudem suavitatis, ut, eo judice, eruditissimi homines Asiatici a quovis Atheniensi indecto, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo viderentur superari.

Imperatorum quoque Romanorum ut quisque humanissimus fuit, ita fere illam urbem liberalissime habuit. Hadrianum, constat, eam restituisse,

ex-

et ornasse gymnasio & bibliothecā instruxisse, exilarasse etiam, Periclis exemplo, festis Dionysia celebrandis edendisque agonibus, ut alia praeterem. Idemque urbis partem de suo nomine Hadrianopolin vocari voluit. Tam egregia consilia initatus est Antonius Pius. Marco vero Aurelio Imperatore tum eloquentiae suae doctrinaeque luce eandem collustravit tum suis ex opibus liberalissime recreavit Herodes ille Atticus. Neque a patris virtute defecerunt Athenae, postquam Christiana sacra amplexae essent; singularique pietate commendabiles insigniter floruerunt & constitutis Imperatorum munificentia disciplinarum cathedris & haud exigua docentium discentiumque frequentia.

Nunc, quando ad orationis clausulam ventum est, Auditores, ubi ea, quae exposita sunt, quo ea altius in auditorum memorie insigantur, breviter ac summatim colligi solent, equidem hoc melius facere nequeo, quam verbis unius eloquentissimi omnium Romanorum, Ciceronis. Ita enim ille in oratione pro L. Flacco: „Adsumt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur: de quorum urbis possessio ne, propter pulchritudinem, etiam inter deos certamen fuisse proditum est: quae vetustate ea est, ut ipsa ex se suos cives genuisse dicatur,

„ tur, & eorum eadem terra parens, alrix, patria  
 „ dieatur: auctoritate autem tanta est, ut jam  
 „ fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen  
 „ hujus urbis laude nitatur." Haec ille.

Ego autem, licet mecum optime sentiam hoc  
 tot tantarumque rerum gravissimum argumentum  
 adumbratum tantummodo a me esse, & extremis  
 duntaxat lineis descriptum: tamen ea sufficere exis-  
 stimo, quo intelligatur, eam urbem non modo  
 procreatrixem humanitatis fuisse verum alrigem  
 etiam, eandemque hanc virtutem per terrarum or-  
 bem latissime utilissimeque propagasse. Jam equi-  
 dem hoc loco possim evagari latius, atque tunc  
 repetitis ex majorum memoria, cum vivis ac spi-  
 rantibus exemplis confirmare, quantopere in plu-  
 rimiis rebus Vesta civitas veterem illam quam hu-  
 manitatis parentem civitatem referat, & quam vere  
 illa, communi intelligentissimorum hominum con-  
 sensu, Athenarum Bavavarum nomine appelletur.

Sed avocat me ab eo consilio & temporis ratio,  
 quae me finem impopere orationi admonet, neque  
 ea res, dudum pro sua dignitate ab hominibus  
 me multo doctioribus celebrata, meae vocis testi-  
 monium desiderare videtur.

Quo circa illud unum agam, ut Vos commo-  
 nefaciam ejus rei, quam a Vobis teneri mea maxi-  
 me refert. Nostis enim, in illis Atheniensium  
 virtutibus eminuisse praecipue humanitatem erga-  
 pe-

peregrinos; ut etiam Pericles apud Thucydidem  
hoc nomine cives suos dilectus, eosque neminem  
quemquam a sua disciplinae elegantiaeque fructu  
arcere profiteatur. Jam cum Augustissimi Regis  
Vestri auctoritas, Curatorumque hujus Academiae  
consilium me, quod Vestris rebus mea qua-  
licunque operi nonnihil prodesse viderer posse,  
•peregre huc arcessiverit, Vos nunc ego ea, que  
par est observantia rogo, ut, quod peregrinus  
sum, nihilo me minus idcirco humanitate Vestra  
complectendum judicetis. Neque ego ex aliquo  
barbaria huc delatus veni; Heidelbergae evocatus  
veni; quae civitas, & ipsa dedita optimarum artium  
studiis, religionibus autem sanctissimis Vestrae  
reipublicae juncta antiquitus, hodieque Vestris lau-  
dibus commodisque, tanquam suis ipsa bonis &  
decoribus humanissime laetatur. Evidem Vobis  
invicem polliceor sancteque promitto, me, quan-  
tum in me est, effecturum, ut neque fides mea  
nec strenuum Vestrarum rerum studium unquam  
in me desiderari possit.

Vos jam mea oratio compellabit, Humanissimi  
Commilitones, qui hac illustri literarum sede ho-  
nestissimis studiis operamini. Non est, quod Vo-  
bis explicem, quam vim bonarum artium tractatio  
habeat, quibusque eae rebus maxime contineantur,  
quando & iis ceterarum disciplinarum magistris uti-  
mini, qui & vocis & exempli sui auctoritate hujus  
rei

rei gravitatem egregie declararunt; & vero in his  
ipsis artibus ei doctori operam datis, qui easdem  
ingenii sui doctrinaeque luce insigniter illustravit.  
Hic Vobis & verbis & quotidiano usu luculenter  
monstrare solet: non id agi in hac disciplinâ, ut  
literarum apices sectemur, ut ad syllabas adhaeres-  
camus, inque minutis, neque liberalis studio ho-  
minis dignis quaestiuculis tempus teratius: sed,  
quoniam recte cogitandi sapientiae intelligentia &  
usus e veterum scriptis velut ex limpidissimo pe-  
rennique sapientiae fonte ducatur, qui non nisi ver-  
borum sermonisque Graeci Romanique accurata  
scientia recludi & aperiri queat, propterea facien-  
dum esse, ut in verborum cognitionem & utrius-  
que sermonis usum nos penitus insinuemus. AB  
eo viro Vos instituti nostis, non huc spectare  
nostrae vim disciplinae, ut fabularum nugas au-  
cuperemur, recoquendisque vulgaribus rebus bo-  
num otium perdatimus: verum huc spectare, ut  
interpretandis Graecis Romanisque scriptoribus;  
a quibus omnium disciplinarum ratio manavit,  
maximarum rerum cognitione nutriamur, quae  
ad vitam humanam; ad rem publicam pace bel-  
loque administrandam, ad legum, jurium cogni-  
tionem ad artem salutarem & sacram in primis  
doctrinam vel maxime faciunt; quibus ingenia  
conformantur, mores emendantur ac regantur,  
quibus animus ad rerum pulchram sensum tri-  
ti-

digatur & effingitur, uno verbo, quibus ipsa humanitas continetur.

Neque Vos ego nunc admonebo, ut omni admirata industriâ earum artium laudem fructumque consequi studeatis. Hoc Vobis significatum volo, me, excellentissimorum Collegarum exemplo, id unum acturum, ut Vestris rationibus consulam, & quantum conniti atque efficere poteris, tantum me collaturum ad honestissima studia adjuvanda, vestraque ingenia Graecarum literarum antiquitatisque usui excolenda. Cumque omnes continuo curae meae eo dirigentur, ut possim quam plurima meae erga Vos voluntatis documenta edere: nihil mihi quidquam gratius poterit accidere, nihil mea magis studia incitare, quam si Vos in hoc praestantissimorum virorum domicilio ad eorundem laudes naviter contendere videro.

Summe DEUS, qui me in hac bonarum artium sede collocasti, & ea a me juvenibus tradi voluisti, quae possint immortalibus eorum animis prodesse: hoc tam sancto muneri annue, mearumque virium tenuitatem Tuo robore confirma, REGEM autem nostrum, quem vices Tuas in hoc populo gerere jussisti, salvum sospitemque praesta, quo possit tantis curis sufficere. LITERARUM item MODERATOREM & hujus Academiae CURATORES tuâ sapientia illustra, ut huic saluberrime consulant, Doctorum por-

ro studiis benignissime ad sis eaque ad Tuum honorem dirigas. Suscipe tandem hanc Juventutem, quam nostrae fidei credidisti, eorumque animos ad innocentiam eaque, quae sola perennia sunt, converte.

## P R I M U M . L.

Deinde dicitur: **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**. **Exaudi nos**, et **ad nos veni**, **quoniam** **in** **terris** **est** **nos** **in** **distressu**.

## A N N O T A T I O.

P. 1. *Cum Pisone*] Locus est apud Ciceronem De Finib. V. 1. coll. cap. 2. ubi est: „Ego au-  
„tem tibi, Piso, adsentior, usu hoc evenire, ut  
„acrius aliquanto & adtentius de claris viris loco-  
„rum admonitu cogitemus.” *Ibid.* „Hoc autem  
„tempore, et si multa in omni parte Athenarum sunt  
„in ipsis locis indicia summorum virorum, tamen  
„ego illa moveor exedra. Modo enim fuit Carnea-  
„des, quem videre videor (est enim nota imago)  
„a sedeque ipsa tanti ingenii magnitudine orbata de-  
„siderari illam vocem puto.” Cic. de Off. I. 1.  
de Athenis & Cratippo: — „propter summam &  
„doctoris auctoritatem & urbis, quorum alter te scien-  
„tia augere potest, altera exemplis.” Diversum ju-  
dicium est Socratis apud Platonem in Phaedro p.  
230. D. τὰ μὲν οὖν χωρία καὶ τὰ δένδρα οὐδέν με θέλει  
ἀδάσκειν, οἱ δέν τῷ ἀστρι τὸν βραχῖον. Quem tamen uni-  
versum Platonis locum ante oculos videtur habuisse  
Cicerο.

P. 2. *Quacunque ingredimur]* Cicero de Fin. I. c.

P. 7. *De — Athenis]* Praecipuas Athenarum laudes strictim persecutus est Menander Rhetor Sect. II. & III. de laudibus urbium; v. praesertim Sect. III. C. I. p. 96. ed. Heeren. &c. II. p. 98—107. Libanii epist. 16. p. 30. ed. Wolf. qui conf.

P. 10. *Cecropem]* Meurs. de Fortuna Athenarum Cap. I. ibique Athen. L. XIII. & Justin. L. II, 6, 7. Ante Deucalionis tempora (Athenae) habuerunt Cecropem; quem, ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus marem feminae matrimonio junxerit, — cum ante promiscuis congressibusuterentur. Cf. de Cecrope Diodor. Sic. I. 28. Plutarch. de S. N. V. ed. Wyttensb. p. 21. not. p. 36. Suidas h. v.

P. 10. *Saitarum]* Athenienses Saitarum Aegypti colonos dixerat Theopompus. Contra Callisthenes & Phanodemus Athenienses Saitarum Patres tradiderant. Proclus in Plat. Tim. L. I. p. 30. Cf. Meurs. de Fort. Athen. Cap. I.

P. 11. *Frugum inventarum]* Ubertus hanc rem exposuit Heynus v. c. In Opusc. Acad. I. p. 353.

P. 11. *Cererem]* Ovid. Metam. V. 643. sqq.

P. 11. *Ager Rharii]* De agro Rhario & Triptolemo cf. quos laudat Ruhnken. ad Homer. Hymin. in Cererem v. 96. 450. 480. & Heynus v. c. ad Appollodor. Observ. p. 27. ed. alt. Praecipue consilendi Meursius in Eleusin. Attic. Lectt. & Athen. Attic. Munkerus ad Hygin. 147. Verheyk. ad Antonin. Liberal. I. 24. Saneto-Crucius sur les mystères p. 99. & 536. & Boettigerus Imag. in Vatis exhibitarum I. 2. 197. Erat autem in Sophoclis fabulis eti-

*etiam Τριπτόλεμος.* — Primum Atticorum frumentum hordeum (δλύρα) fuit. V. Heyn. Opusc. l. c.

P. 11. *Quorum unum*] Homericum Hymnum in Ceterem.

P. 12. *Altis — populis — profuit*] Isocrat. Panegyr. cap. 6. p. 21. ed. Morus: σύτως ἡ πόλις ἡμῶν εὐ μάνον θεοφιλῶς (Menander Rhetor de encomi. Sect. III.) ἀλλὰ καὶ φιλανθρώπως ἔσχεν, ὅτε, κύρια γενεθλέν τοιούτων ἀγαθῶν, οὐκ ἐθενητες τοῖς ἄλλοις, ἀλλ' ὁν ἀλαζην, ἀπασι μετέδωκε. Coll. Thucyd. II. 40. ubi Pericles ita: οὐ γὰρ πάσχοντες εῦ, ἀλλὰ δράντες, πτώμεδα τοὺς Φίλους.

P. 12. *Buzyges*] Athienensis heros, qui aratum dictus est invenisse, quod alii a Triptolemo factum referunt. Plin. H. N. VII. c. 56. cf. Hesych. in Bouzýgης, ib. interpret. cf. Interpret. ad Polyaen. I. 5. Servius ad Virg. Georg. I. 19. „Epimenides, „qui postea Buzyges dictus est secundum Aristot. De Epimenide cf. Heinrichii libellus. E tribus arationibus sacrīs, quas Athenienses obibant tunc Bouzýgion vocata est. Plutarch. Praecept. Conjug. p. 567. ed. Wyttens.

P. 12. *Exsecrationibus*] Cicero de Offic. III. 13. init. Valckenar. ad Herodot. 231. Clem. Alex. Strom. II. p. 503, 17. ed. Potter.

P. 12. *Ciceroni*] De Legg. II. 14. De mysteriorum primordiis in Attica cf. Callim. Hymn. in Cer. ib. Ezech. Spanh. De immortalitate in mysteriis tradita monuimus in Dionysio I. p. 236. sqq.

P. 13. *Materiālē desumerent*] Cf. Isocratis Panegyr. c. 5. p. 20. ed. Mor. ubi maximorum beneficiorum ab omnibus praedicatorum Athenae dicuntur effectus.

## ■ N N O T A T I O .

ces. Tum sequitur cap. 6. egregius locus dei mysteriorum Atticorum beneficio.

P. 13. *Ex communi origine*] cf. Meurs. de Fort. Ath. Cap. II. & quos ille laudat Sophoclis in Oed. Col., Euripidis in Hippolyto & Aeschyli in Persis itemque Ciceronis locos.

P. 14. *Paciferae* &c.] v. Ausonius in Catalogo Urbium:

*Nunc ut terrigenis patribus memoremus Athenas,  
Pallados & Coffi quondam certaminis arcem,  
Paciferae primum cui contigit arbor olivae.*

P. 15. *Commune — Graeciae prytanicum*] Eustath. ad Illiad. B. v. 546. ὅτι δὲ καὶ ἀλλως πολὺ τὸ σεμνὸν αἱ Ἀθῆναι πάλαι πότε εἶχον, δηλοῖ καὶ ὁ εἰπών τὰς Ἀθήνας Ἑλλάδος Μουσεῖον. ἔτι δὲ καὶ Πιλίδαρος Ἑλλάδος αἴτιας ἐρεισμα καλέσας, καὶ Θαυμαδήν. Ἑλλάδος Ἑλλάδα. καὶ ὁ Πύθιος ἑστίαν καὶ πρυτανεῖον τῶν Ἑλλήνων. Quae ex Athenaeo fluxerunt, vid. Lib. V. cap. 12. ibique Casaub. & Schweighaeuser. p. 47. & Lib. VI. cap. 65. ubi de Athenis ita: ἦν μὲν δὲ Πιλίδος ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος ἀγενήρυξε: πρυτανεῖον δὲ τῆς Ἑλλάδος δὲ διζηνέστατος Θεόπομπος. Respicit editam Lacedaemoniis sortem, cum post captas a Lysandro. Athenas Apollinem consulerent; quid eā urbe facerent. Respondit enim, τὴν κοινὴν ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κτινέν. Aelian. Var. Hist. IV. 6. Imitatus est Synesius Epistol. 335. Ἀθῆναι — ἑστία σοφῶν. Locum laudavit Corsini Fast. Att. IV. 202. & attigit Aristides in Panathen. ad quem locum haec eadem narrat scholiastes Ms. Leidensis, cuius excerpta mecum communicavit Vir. Cl. Wyttenbachius. Itaque hujus encomii Athenarum quatuor praecipue sunt fontes:

in

in *Apollinis Pythii responso*, in *Pindari Sophoclingis* (Oedip. Colon. 58.) predicatione, in epigrammate *Thucydidis*, in *Theopompi dicto*. Epigramma Thucydideum laudatum ab Athenaeo illustravit Jacobius V. Cl. ad Antholog. Gr. I. t. p. 335. qui d'Orvillium ad Chariton. p. 120. laudat; addit. Ducker. & Gottsber. ad Thucyd. II. 41. init.

P. 16. *Ferro — in pace deposito*] Huc facit Thucydideus locus in prooemio I. 6. ubi Graeciae populi testari dicuntur, similia vitae instituta; olim apud omnes obtinuisse. *Omnium autem primi Athenienses dicuntur ferrum deposuisse & remissorem cultum feceris ad genus vitae laudes transisse. Isocrates autem in Panegyr. Cap. V. p. 19. ed. Mor. hanc urbem dicit της — κατασκευής, ἐν ᾧ ματοκούμεν, καὶ μεθ' ἣς πολιτευόμεθα, καὶ δι ἣν ζῆν δυνάμεθα (i. e. per quam vitam vitalem sive vete humana vivere possumus.) σχέδον ἀπόσης αἰτίᾳ. cf. Cap. X. p. 29.*

P. 17. *Epimenidem — arcessitum Athenas*] Plutarch. in Solone p. 84. D.

P. 17. *Itaque prisēi*] Cf. not. ad p. 12. *aliis &c.* Add. de Athenatura φιλοξενίᾳ Isocr. Panegyr. C. XI. init. Athenensium misericordiae exemplum in Historia Pelasgorum Tyrrhenorum adnotavit Larcherius V. S. Chronolog. Herodot. (VII.) p. 248. seqq. ex Herodoti L. VI. c. 137. (cf. Aristoph. Avib. v. 831. ibique Beckii not.) Sequentia eventa belli Athenenses inter Pelasgosque (quae etiam attigit Aristides Panathenaico) aliter tradidit Hecataeus Milesius ap. Herodot. VI. 137. Vid. Fragm. Histor. Graec. antiqu. Quae item misericordia comparuit in historia Heraclidarum, denique in rebus Iōnīis; vid. Kocrat.

Paneg. C. XIV. XV. XVI. cf. Aelian. V. H. L. IV. c. 6. L. VI. c. 10. ibiq. Periz.

P. 17. *Daedalus*] Ejus fuga in Siciliam narraverant Ephorus L. VI. & Philistus L. I. Historiarum, uti Heynius ex Theon. Progymnastn. C. II. conjicit. Loca classica de Daedali historia sunt ap. Diod. Sic. IV. 76—79. Pausan. I. 4. & IX. 55. Schol. Eurip. Hecub. 838. 1648. De ejus inventis v. Plin. VII. 56. 57. De ejusdem in Cretam fuga Apollod. III. 15. 8. 9.

P. 18. *Patentem — appulsi*] Athenas ex omnibus omnium orbis terrarum partibus omnia, propter urbis magnitudinem importabantur: sic Pericles ap. Thucyd. II. 38. Laudat etiam Pericles ibid. c. 39. Athenienses διὰ τὴν τοῦ νεκτικοῦ ἐπιμέλειαν. cf Meurs. de Fortuna Athenarum Cap. IV. qui plures veterum locos attulit, ubi etiam de annonae vilitate. Add. Isocr. Panegyr. C. XI. fin. de Piraeo.

P. 19. *Solon*] De Solone sufficiat laudasse Plutar-chum in Solone itemque Diog. Laert. in Solone; Dion. Chrysost. Orat. XXI. Gell. N. A. XI. 18. Senec. Epist. XC. Add. Meurs. in Solone.

P. 19. *Atheniensium prudentissimus*] Cic. pro Rosc. Amerino c. 25.

P. 19. *Se — senem fieri*] Cic. de Senect. C. VIII.

P. 20. *Humanissimas*] Fuit Atheniensium lex: τοὺς ξένους ρῆ ἀδίκειοθεῖ v. Xen. Mem. Socr. II. 1. 14. Demosth. Near. II. p. 1374. Constituta & iuxta religio, de qua v. Heynni Opuseull. Acad. I. p. 213. Huc facere videtur Cic. de Off. III. 6. 6.: „Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis fo-

ci-

sietatem; qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. Quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt." Ceterum de humanitate Atheniensium erga peregrinos locus classicus est Periclis in Oratione funebri ap. Thucyd. II. 39. τάντε γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ἐνηλασίαις ἀπέιργομέν τινα ἡ μαθηματος, ἡ θεάματος. Quem locum expressit Aristides in Panath. observante Scholiaſta MS. Leidens.

P. 20. *Tanto temperamento — egit*] Justin. L. II. c. 7.

P. 20. *Educationem dirigere*] Solon jussit Athenienses filios suos educare convenienter & ordini & facultatibus, quod item Aristoteles de Republ. VIII. 1. necessario praecipi a legislatore debere contendit. Pauperum filios opicia saltē & artes fellularias (*τέχνας βαναυστικὰς*) doceci jussit Solon. Isocrat. Areopag. p. 333. Atheniensium pueri dimissi ex gynaeceo, quod plerumque septimo aetatis anno fiebat, tradebantur binis praceptoribus, quorum alter literas docebat, alter gymnasticen: v. Plat. Protag. p. 289. Aristot. de Rep. VIII. 3. cf. Terent. Eunuch. III. 2. 23. Ad liberales artes (*τροφὴν ἐλευθέριον*) pertinebat gymnastice, itemque equitatio & veſatio cf. Plat. l. c. Petit. de Legg. Att. p. 163. & musica. Haec omnia jam Solonis aetate, quamquam Aristot. Rep. VIII. 6. post Persica demum bella musicae affidue operatos Graecos dieit. Et præmia diebus festis nonnullis constituta iis pueris adolescentibusque, qui lyricalia carmina Solonis aliorumque optime cecinissent. v. Plat. Tim. p. 414. add. Aristoph. Nub. 955. sqq. ibiq. Scholiast. & Interpret. Postea quoque pingendo & deli-

neando plures vacabant. v. Aristot. I. C. VIII. 3.  
 Plin. H. N. XXXV. 10. Arithmeticæ autem & geometriae imbuti omnes. v. Cic. de Orat. III. 32.  
 Quintil. Inst. I. 10. Fragment. Teletis ap. Stob. Serm. XCVII. Atque haec erant ἐγκύλια παιδεύματα, a quibus discerni solita eloquentiae studium (\*) & philosophiae. Diog. Laert. II. 79. VI. 103. De Atheniensium παιδείᾳ consulatur etiam Isocrat. Panegyr. II. 195—197. Plato de Legg. L. I. p. 517. sqq. De paedotribis (παιδοτρίβαις) v. Perizom. ad Aelian. V. H. II. 6. Spanh. ad Aristoph. Nub. 969. His add. Meurs. de Fortuna Athen. C. VIII. ibiq. Schol. Aphthonii & Suid. itemque loca Libanii, Greg. Naz., Amphiliocii, Leonis Imp., Philonis, Sallustii, Justini.

P. 21. *Eo vocabulo] παιδεῖα.*

P. 21. *παιδευτήριον]* cf. Meurs. I. c. ibique Diiod. Sic. L. XIII. ubi Athenenses dicuntur κοινὸν παιδευτήριον παρέχεσθαι πᾶσιν ἀνθρώποις. „ Quid vero illae, omnis plane doctrinae omnisque sapientiae parentes Athenae? ” Cicero, vel potius Siganus in Consolat. ed. Froben. p. 326. Hemsterhusius ad Luciani Nigrin. §. 12, ait: Ceterum Atheniensibus ista veluti propria laus tribuitur, quod ad emendandos ineptorum mores, castigandamque vitae rationem multum valuerint: Athenas ergo Pericles ap. Thucyd. II. 41. esse dicit Τῆς Ἑλλάδος παιδευσιν. & Dicaearchus p. 10. testatur, ὅσον αἱ λοιπαὶ πόλεις πρὸς τε ἡδονὴν καὶ βίου διόρθωσιν τῶν ἀγρῶν διαφέρουσι, τοτοῦτον τῶν λοιπῶν πόλεων

¶

(\*) Max. Tyr. Diff. XXIII. 2. p. 440. Reisk. —  
 Ἀθηναῖοι λέγουσι, καὶ οὗτοι ἡ περὶ τοῦ λόγου: σπουδὴ τίχην Ἀττικὴν

## A N N O T A T I O.

59

ἢ τῶν Ἀθηναῖον: (\*) εὸν spectat Menēdemī dictum a Plutarcho laudatum de Adul. & Am. Dicerim. p. 81. „ vid. p. 312. ed. Wyttensb. Habet autem ita: Εἰς δὲ τούτοις ἔσικε καὶ τῷ Μενέδημῳ πέπαιγμένον εὖ λεγεῖσθαι. καταπλεῖν γὰρ ἐφη τοὺς πολλοὺς ἐπὶ σχολὴν Ἀθηνᾶς σοφοὺς τὸ πρᾶτον, εἴτα γένεσθαι Φιλόσοφους, εἴτα φύτορας, τοῦ δὲ χρόνου προΐστος ἴδιάτας· οὗτοι μᾶλλον ἀποτονται τοῦ λόγου, μᾶλλον τὸ σῆμα καὶ τὸν τύφον κατατίθεμένους. Cicero de Orat. III. 11. „ Sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone hujus est urbis maxime propria. Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium intererit, *domicilium* tamen in illa urbe remanet studiorum.

P. 22. *Leges arcésserent.*] cf. Plin. Epistol. L. VIII. ep. 24. Cic. pro Flacco 26. & quos Meursius laudat in Libro de Fort. Att. c. 1. Dionysii Halicarnassensis L. X. Livii L. III. & Silii Italici L. XIII. locos.

P. 22. *Occupavit Pisistratus.*] cf. universè Meursius in Pisistrato Cap. XI. & quos ille laudat auctores.

P. 22. *Templum extruxit.*] Aristot. Polit. V. 11.

P. 22. *Bibliothecam — Scholam*] v. Suidas & Harpocratian in Λυκεῖον & apud eos Theopompus, Gell. N.

(\*) Ejus comparationis ratio expressa videtur ex Herodot. I. 60. οἷς γε ἀπεκρίθη ἡ παλαιότερος τοῦ βαρβαρικοῦ ἔθνος τὸ Ἑλληνικόν, οἵτινες διξιώτερον, καὶ εὐθὺς ἀλιθέους ἀπηλλασμένοις μᾶλλον· εἰ καὶ τότε γε οὗτος ἐν Ἀθηναῖσι τοῖσι πρότοισι λεγομένοισι οἶναι τῶν Ἑρλήνων σοφίην. κ. τ. λ. Et sic saepe haec res videatur declarari, ut tantum reliquis Graeciae urbibus antecedere dicantur Athenae, quantum illae urbibus barbarorum.

N. A. VI. 17. cf. Wolfii Prolegg. ad Homerum p. CXLV. sqq. Add. Cic. de Divin. I. 13.

P. 22. *Orpheum Crotoniaten — Homerum*] Cic. de Orat. III. 34. „Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cuius eloquentia literis instructior fuisset traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposituisse dicitur, ut nunc habemus. cf. Wolfii Prolegg. p. CXLIII. ibique cum alios veterum locos, tum Anonymi ap. Allatum de Patria Homeri, qui (Anonymus) epigramma graecum addit adscriptum Pisistrati statuere, quo epigrammate Homerus Atheniensium eivis dicitur, quandoquidem illi Smyrnam condiderint. — Suid. in v. Ὀρφεύς.

P. 22. *Hipparchus filius &c.*] Meursius l. c. Cap. XII. ibiq. Plato in Hipparcho p. 228. B. Add. Wolf. Prolegg. p. CXL. sqq. praesertim CLIV. Heynii Excurs. ad Iliad L. XXIV. T. VIII. p. 809. & Heinrichii Epimen. p. 157. coll. ejusd. Programmate de Diasceuaftis Hom. p. 17. sqq.

P. 23. *Tantum abfuit, ut gravis existeret*] Thucyd. VI. 54. ib. Duker.

P. 23. *Tanquam sub Saturno*] Plato in Hipparcho l. c. (si modo is Platonis habendus est).

P. 23. *Anacreontis — Simonidis*] cf. Plat. l. c. Aelian. Var. Hist. VIII. 2. ibiq. Perizon.

P. 23. *Onomacrito*] quem tamen postea ejecit, quod Musaei oraculis aliquid inseruisset. Herodot. VII. 6.

P. 23. *Hermas*] In Platonico Hipparcho p. 228. bini exstant versus, Hermis inscripti: Μνῆμα τὸ δ' Ἰππάρχου στείχε δίκαια φρονῶν alter ita: Μνῆμα τὸ δ' Ἰππάρχου Μὴ φίλον ἐξαπάτα.

## ANNOTATIO.

P. 24. *A Phrynicho poeta*] Herod. VI. 21. Longin. περὶ "Τύφους" Sect. XXIV. p. 94. ed. Toup.

P. 24. *Sed erexit seſe.*] Athenienses honestis publicis privatisque recreationibus dolores excutiunt, ait Pericles ap. Thucyd. II. 38. ad quem locum Was-sius laudavit hunc Pindaricum Nem. IV. init.

"Αριστος εὐΦροσύνα  
πόνων κεκριμέναν  
ἰατρὸς· αἱ δὲ σοφαῖ  
Μοισᾶν θυγατέρες ἐσίδαι  
θέλξαν νιν ἀπτόμεναι.

P. 25. *Μαρχανομάχους*] v. Interpret. ad Herodot. p. 705. 82. a. ed. Wessel. ibid. p. 566. 20 & 33. Valcken. ad Herodot. p. 264. 59.

P. 25. *Pericles*] Ejus ingenium pingit Thucydides loco classico II. 65. cf. Cic. de Orat. III. 34.

P. 25. *Ἐλλάδος Ἐλλάς*] v. not. ad p. 15. add. Casaub. ad Theophrast. Charact. Prooem. p. 13. ed. Fischer, ibiq. Philo, cuius sunt verba: ὅπερ ἐν ὁφθαλ-μῷ κόρη. η ἐν φυχῇ λογισμός, τοῦτ' ἐν Ἐλλάδι Ἀθῆναι. Alciphron. Epist. II. 3. §. 64. ubi Glyca se videre ait ὅλην ἐν ταῖς Ἀθήναις τὴν Ἐλλάδα, ὅλην τὴν Ιωνίαν, τὰς Κυκλαδικὰς πόσας.

P. 26. *Polygnotum*] Plia. H. N. XXXV. Sect. 34; Pausan. Att. (I.) 15. Népos in Milt. VI. 16. interpr. Université de Athenarum pictoribus aliisque artificibus v. Isocr. Paneg. C. VIII. & XIII. Plin. l. c. Sect. 39 & 36. Hesych. v. Σκιά. Plutarch. Bellone An Pace Clar. Athen. Cap. II. p. 417. sq. ed. Wytenb. Pausan. l. c. 17. 19. 20. & Eliac. c. 6. Atheneus

natus Deiphilosoph. XIII. p. 591. Casaub. Cic. de N. D. I. 27. — Color hujus loci ductus est e Mureti Or. VIII. p. 74. ed. Ruhnk.

P. 28. *Polyclitus*] Sicyonius, De ejus canone v. Cic. Brut. c. 86. Plin. H. N. XXXIV, 19. & 8. Quintil. XII. 10. Aelian. V. H. XIV. 8.

P. 29. *Dicebat Gorgias*] Plutarch. de Gloria Athen. p. 427.

P. 30. *Sumtuum faciebant*] Plutarch. l. c. p. 429. Isocrat. Panegyr. C. XII. p. 32. ed. Mor.

P. 30. *Pindarum — suum esse voluerunt*] cf. not. ad p. 15. Αοιδημοι Ἀθαναι (quae sunt verba Pindari) urbis nomen célébrissimum v. Bibl. Crit. III. 1. p. 49. ibid. Wytténbachium ad Julian. Orat. (ed. Lips. Schaeff. p. 144. sq.) de locis autem Pindaricis, (ιδιοῦ τρόπῳ λαταράζ καὶ τοστέφανοι Ἀθαναι, μοδὸν Ἐλλάδος ἔρεισμα, χλευναι Ἀθ.) vidi Schnaider. ad Pindari Fragm. ex Dithyramb. X. p. 74. sq. ed. Heyn. Quae quidem deinceps varie expressa sunt a scriptoribus, vid. Hemsterhus. ad Lucian. Tim. T. I. p. 162. & Wytténb. l. l. qui Lucianeum locum e Sophoclis Oed. Col. 58. non minus ductum monstravit quam ex Pindaro.

P. 31. *Civis yester.*] Ruhnkenius, in Historia Critica Oratorum Graecorum, praefixa Rutilio Lupo a Ruhn. edita & Oratoribus Graecis Reisk.

P. 33. *Bellicum canere*] Quintil. Inst. Rhet. X. 1.

(P. 34. *Philochorus*) De Philochoro, aliquique Ατοληδην scriptoribus vid. Jonsius de Script. Hist. Philosoph. II, 9. p. 189. ed. Dorn. cf. Hemsterhus. ad Aristoph. Plat. p. 341., 382. 420. 449e

p.

P. 34. *Apollodorus — Maton.*] cf. Corsini Fast. Att. III. 226. sq. de Apollodori Atheniensis Chronica; v. Heynii editio Apollodori T. I. p. 403.

P. 34. *Hippocratem*] v. quae hac de re contulit Meursius de Fort. Ath. Cap. V. & quem ille laudavit Hippocratis locum, ubi Decretum ipsum inseratum est.

P. 35. *Pudoris — Specimen absolvit*] cf. Aristoph. in Nußbib. v. 993. ib. Ernest. & Hermann. & Ruhnk. ad Tim. Lex. Pl. p. 5. seqq.

P. 36. *Ad coelum iter cognitum — habere*] cf. Athenaeus L. VI. c. 57. p. 25. cf. Casaub. (p. 461. Schw.) „Οἱ δὲ δημαρχοῦντες, Φησὶν (‘Ηγίσανδρος), Ἀθηναῖσι κατὰ τὸν Χρεμωνύδειον (corruptum, v. not. ad h. l.) πόλεμον. καλακεύοντες τοὺς Ἀθηναῖς, Τάλλα μὲν, Ἐφασκου, πάντα εἶναι κειμὲν τῷν Ἑλλήνων, τὴν δὲ ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπους φέρουσαν οὖδεν Ἀθηναῖς εἰδέναι μένουσ.

P. 37. *Faceta ironia*] Plutarch. Praecept. Ger. Reip. p. 210.

P. 37. *Commendari debebat &c.*] Aristotel. Magn. Moral. I. 31. Rhetor. p. 552. de Rep. VII. 17. Theophr. Char. IV.

P. 37. *Dicacitas*] Aristot. de Mor. IV. 14. cf. L. Rhet. II. 4.

P. 38. *Arid Thucydiem*] L. II. c. 40. ipit. ubi est: Φιλοκαλοῦμέν τε γάρ μετ' εὐτελεῖας καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας. πλούτῳ τε ἔργον ἐν καιρῷ η λόγον ἀβιτω χρώμενά. vid. Interpret. ibiq. laud. Ruhnk. ad Hesych. v. Φίλος, Morus ad Isocrat. Panegyr. p. 6. seq.

P. 38. *Exhilararet*] cf. Pericles in Orat. funebri ap. Thucyd. II. 37. P.

P. 39. *Captis Philippi tabellariis*] Plutarch. Praecept. Reip. Gerend. p. 211. Wytt.

P. 39. γραφὴ ἀργυλας] Herodot. II. 177. hanc legem quidem Soloni tribuit; sed Draconi potius tribuendam censem erudit. vid. Valcken. ad l. 1. De hac lege nuper item egit Wolfius in Explicat. Tabul. Aliment. Trajan. germanice scripta p. 8. not. ubi Petitus laudatur in Legg. Att. p. 520. moneturque ejusdem legis vestigia supereesse in Cod. Justin. XI. 25. & in Novv. LXXX. c. 5. laudato Rothio, qui sigillatam hac de lege egerit.

P. 39. ἑταιριας] De his vid. Van Dalii Dissertat. ad antiqua marmora IX. p. 728. sq. cf. Museum Atticum T. I. P. I. p. 109.

P. 39. ἐπανος] v. Heraldus in Animadv. in Salmas. L. VI. c. 3. Is. Casaub. ad Theophr. Char. XV. p. 169. Fisch. Petitus in Legg. Att. p. 429. ed. Wesel. & interpret. ad Thucyd. II. 43.

P. 40. *Caussariis*] i. e. τοῖς ἀδυνάτοις. Vid. Wolfii libell. cit. p. 23. not. &, quem laudat, Taylor. ad. Lysiae Orat. 24. p. 404. sqq. ed. Londin.

P. 40. *Misericordiae θρα*] Pausan. Attic. c. XVII. ipit. Misericordiae Atheniensium exemplum est etiam lex de' suppliciis gravidarum mulierum post partum differendis, desumpta ab Aegyptiis. V. Aelian. Var. Hist. V. 18. ibiq. J. Kuhn. Clem. Alex. Strom. II. p. 400. D. Plutarch. De S. N. V. p. 25. ed Wyttentb. cf. hujus not. ad h. l. p. 40.

P. 41. *Peripateticorum familia*] cf. Cic. De Fin. V. 3.

P. 42. *Neque postea &c.*] v. quae Heynius attulit Opusc. Aeadd. T. I. p. 80. 88.

P. 42. *Ptolemaei Physconis*] Fuit is septimus Ptolemaeorum, & Καινεργέτης dictus. cf. Athenaeus IV. c. 73. p. 184. B. Casaub. (p. 194. Schweigh.)

P. 43. *A. Atilius*] Livius L. XXXVI. c. 20. Hoc factum Olymp. CXLVH. anno  $\frac{1}{2}$ . vid. Corsini Fast. Att. IV. p. 102. cf. Liv. XXXVIII. 10.

P. 44. *Sincerā fide — Atticā*] Vellej. Patrc. II. 43. 4. ibiq. interpret.

P. 44. *Pomponium*] Cic. Cato maj. prooem.

P. 44. *Propertius*] Eleg. III. 20.

P. 44. *De quibus poēta*] Martialis Epig. VI. 64.

P. 44. *Tullii quoque aetate*] Cic. de Orat. III. 11.

P. 44. *Hadriannum constat &c.*] Pausan. Att. 18—20. De studiorum ratione, quae postiore tempore Athenis obtinuit vid. Meurs. de Fort. Ath. c. VIII. &, quos ille laudat, Philostratum in Apollo-  
nio Athenieñi, a quo πολιτικὸς θρόνος commemora-  
tur, & Eunapium in Proaeresio, ubi memoratur  
πολιτικὸς θρόνος. Hae cathedrae collocatae erant ab Imperatoribus. Add. Cresollius in Theatr. Rhetorr. & Heeren. Gesch. des Stud. der Klass. Liter. Vol. I.

P. 45. *Marco Aurelio*] v. quae concessit. Meur-  
sius I. c.

P. 45. *Poſquam Christiana ſacra &c.*] Synesius Epift. 335. αἱ δὲ Ἀθῆναι πάλαι μὲν πόλις ἔστι τὰ σοφῶν, εἰδὲ νῦν ἔχον σεμνύνωσιν αὐτὰς οἱ μελιττοῦργοι. Ad-  
dit idem, ne tunc quidem (hoc est ſeculo V. post Ch. n. exente & ineunte VI.) prorsus vaſtas  
ſqualoreque obſitas jacuiffe Athenas, ſed honestas  
adhuc familias Athenis floruiſſe publicaque doctrina-  
rum ſtudia: cf. Corsinus in Fast. Att. IV. 202. ad Ol.  
CCCXVI. Origenes contra Celſum L. III. Ἐκκληſια  
μέν

μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ; Φέρ' εἰπεῖν, ἡ Ἀθηναῖς πραιτίς τις,  
καὶ εὐσταθῆς, ἄπει θεῷ ἀρέσει τῷ ἐπὶ πᾶσι βουλευμένῃ.  
ἡ δὲ Ἀθηναῖς ἐκκλησία στασιώδης, καὶ οὐδαμῶς παραβαλ-  
λομένη τῇ ἑκεῖ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ i. e. Ecclesia enim  
quidem Dei, age dicamus, Athenis initis quaedam &  
bene constituta, quippe Deo placere, qui est super  
omnia, volens; at vero Atheniepsium concio seditiosa &  
nequaquam comparanda ecclesiaq; Dei, quae illic est.

P. 45. *Ciceronis — in Oratione pro Flacco*] Cap. XXVI.

P. 45. *Humanitas*] humanitas h. l. ob ea, quae se-  
quuntur (opponitur enim inmanitati) est illa animi mo-  
rumque conformatio universa, qua homo quasi *magis homo* existit, notatque eam mansuetudinem urbanita-  
temque, quae doctrinā, legibus &c. efficitur. Aliis  
in legi, ubi literae junguntur voci *humanitas* haec  
ipsa solum urbanitatem significat, vel *leporēm*; ut  
Verrin. Or. III. 4. Plura dabit Ernestus Clav. Cic.  
f. humanitas fin. cf. Nepos in Attico. c. 3. fin.,  
ubi item humanitati subjicitur doctrina.

P. 45. *Inter Deos certamen*] i. e. inter Neptū-  
num & Minervam, de quo vid. Apollod. III. p.  
192. Nonn. Dionys. XXXVII. 320. sq. 345.

P. 45. *At ipsa — suis cives genuisse dicatur*] cf.  
Thucydid. L. I. c. 2. quem locum illustravit Wytt-  
tenbachius V. S. in Select. Hist. p. 359. comparato  
loco altero Thuc. II. 36: cf. Herodot. I. 56. ib.  
Wesel. & Valken. Istor. Paneg. p. 17. ed. Mor.  
Add. Meurif. de Fort. Ath. in Gronovii Thes. A.  
Gr. Vol. V. p. 682. & Longin. De Subl. Sect.  
XXIII. p. 93. ed. Taupi.









